


IUSTUS RYCQUIUS
DE
CAPITOLIO
ROMANO.
Lugd. Batavor.
Apud
Joh. du Vivie.
R. de Hooghe inv: et fc.

JUSTI RYCQUII DE CAPITOLIO ROMANO COMMENTARIUS.

In quo, Illustria ejus olim Ædificia, Sacra, & Profana: Deorum Dearumque nomina: Arcus item Triumphales, Columnæ, Statuæ, Tropæa, Colossi, cæteraque Ornamenta adcuratè describuntur: & plura alia Antiquitatis Monimenta proferuntur, emendantur, explicantur.

Figuris æneis & notis Viri Philologi illustrata & aucta.



Capitolio Tiberino ad Rhenum restituto.

LUGD. BATAV.

Ex Officina JOAN: DU VIVIÉ,

CIƆ IƆ C XCVI.





Politissimo, Clarissimo & Eruditissimo

VIRO

PETRO DEINOTO

I. V. D.

Græcæ Latinæque antiquitatis cura & memoria Præstantissimo

S. P.

Quod in Museo tuo contemplari multis locis quotidie potes, ac toties perspeculatus es; ejus breviarium non indiligenter nec indigeste

expoſitum ſuſtineo ad te ferre. Nam neque Alexander Donatus neque Nardinius Tarpejum hunc montem ita conſcenderunt, ut non hic libellus quoque locum ſuum tueri poſſit; & certe quam debilis fuiſſet eorum labor, niſi partibus ex eo hauſtis ſeſe inſtruxiſſent?

Sed neque ego id ago, ut margaritam gallinaceo objiciam: verum ut ad ſcrutatorem ante omnes alacrem, ut ad eorundem ſacrorum caſtiſſimum ſodalem, ut ad eum, qui in has altiores literas principali ſtudio penetravit, ut ad ſolum Capitolii veteris capacem occurram gerens ædiculam non

ſæ-

fæmellæ ex Ephefo, non oleagina & coronata velamenta, fed ipfius Romani Jovis, quo nihil in terris quondam venerabilius creditum. Ille in tantis tenebris, tanta præteritorum fæculorum impietate, quæ eductas cælo templi minas proftravit ac poft quatuor nota incendia penitus tandem evertit; infpiravit tamen Mufam, quæ reponeret, ac fi non recidivis marmoribus, certe recollectis undiquaque fruftis ac fragmentis excitaret ædem, cujus gradus etiam ipfis genibus erepere neminem vel eruditiffimum puderet. Tu quidem hujus penetralis partes fingulas

mente & attentione ſedula peragraviſti, inſpexiſti, immo exegiſti. Non cella in hoc monte, non faviſſa exſtitit, in quam non volupe tibi fuit, caput cogitationemque inſerere. Hinc ſpero multiplicem inde poſthac fore inter nos ſermonem, & tanto magis eum fertilem, quo minus deſtitutus ac nudus. Id enim perquam impenſo & labore & pretio egiſti, ut quidquid ex ejus ruderibus conquiri & recuperari in his oris valeret, in larario tuo reconditum revereri & adorare poſſes. Quinimmo iſtam fortunæ tuæ ubertatem huc converſam animi magnitudine æquas, ut non

tuo ſolius ſervitio coerceas; verum quaſi patefacta hoſpitii quadam ſanctitate ad eam libenter admittas, quoſcunque religioſe adituros noſti. Cujus quum me eximium teſtem tua comitas fecerit; fas ſit mihi, quidquid hoc deliciarum eſt, genio tuo amabili ſuſpendere, ut ſi quid in hoc ſatis artificioſe teſſellato opere conſtitui recte, læteris; ſin, emendes. Neque enim petis jam, ut nomen meum edam, qui in una certe domo tua Batavulam Romam majori jure agnoſcere videor, quam in univerſa Arelate Gallulam Auſonius. Quod ſi non hic ſatis pro ma-


jeſtate ut Tarpeius ; certe ut ex alterius ſui cognominis efficacia Philius Jupiter teſſeram amicitiæ ac fidei meæ deportet, rogo. Vale , Vir ſapientiſſime. Initio menſis tertii anni MDCLXXXXVI.

Typographus Lectori S. P.

Quum ſit hæc parva, ſed excellens Romanæ antiquitatis portio; adeo ſæpe contigit & mihi & aliis, ut fruſtra à nobis exemplaria hujus commentarii peterentur, ut nequierim ultra differre cogitationem de inſtauranda ejus editione. Hanc denique, ut nunc vides, profligavi, licet non ea facilitate, quam opinabar; ſed tamen vehementer eam fors adjuvit. Nam quum id meditarer, incidi in virum his ſtudiis valde deditum, cujus exemplar (erat autem ſecunda editio) videns compluſculis locis notatum, intellexi multam partem eſſe emendationes, quas Rycquius ipſe in indiculo erratorum faciendas monuerat, ſed quas ſecunda editio neſcio quî neglexerat; quod tanto magis mirabar, quia ſane id diſerte promittit ac venditat. Nonne vides pag. 162 *in verſu Manilii ad hoc uſque tempus legi* Hæc nunc fuerat quondam. *Pag.* 177 ἐπιωθισμένον. *Pag.* 240 *primo lectum* Apologiæ, *mox* Anthopologiæ. *Pag.* 287 Arimenſes, *ſecunda editio* Arminenſis. *Etiam in cap.* XLV. Q. F. IIII N. *Atqui hæc indicaverat Rycquius, ut nunc edidimus caſte. Immo etiam paginæ* 94 *&* 95, *tum pag.* 366. *palam teſtabuntur de ſingulorum quorundam fide. Sit mihi fas tacere, quot non modo vitioſis literarum*

con-

confusionibus, sed integrarum vocum intertrimentis fœdatam illam viderem, ut me tæderet; quod nullo modo præsumpseram. Verum & præter illa cernebam annotari nonnulla ad ipsam materiam pertinentia, quæ sicut statim desiderabam addere, ita & rogare sustinui, & impetrata inserui. Hinc etiam ista Residua sunt nata & ad finem adjecta; omnia, ut spero, non sine commodo hujus scripti, quod sicut taxare si non dubitarunt posteriores, qui collem Capitolinum *describere intenderunt deinceps, ita impudenter ingratos se demonstrant in eo, unde tantopere ornabantur. Sed id liceat, modo veritas precedat, qua fruere & Vale.*


EFFIGIES Capitolij veteris
Tacitus Capitolij Arcem ne magnis quidem exercitibus expugnabilem
Cassiodorus. Capitolia celsa conscendere hoc est humana
Arcus Neronis
Porticus et Atrium in Capitolio
Templum Iouis Capitolini
Templum Iouis Custodis
Ædes Concordiæ
Asylum
hic erat Templum Iouis Feretrij
Subjectio Capitolij
Carcer Tullianus
Clivus Capitolinus
Ædes Iouis Tonantis
Porticus in Clivo
Pars Fori Romani et eius Porticuum
Pars viæ sacræ
Ædes Saturni cum Aerario

JUSTI RYCQUI DE CAPITOLIO ROMANO COMMENTARIUS.

CAPUT I.

Roma ἑπτάλοφος, Septicollis, Septemgemina, Septimontium *festus dies. Ejus* Feriæ *&* Strenæ. *Montes olim* Agônes *vocati*, Agonalia, *Salii* Agonales, *Porta* Agonensis. *Septem colles minores* Romæ Quadratæ: Capitolium *iis additum non videri: septem alii Romæ Magnæ.* Pomœrium Urbanum, *& varia ejus amplitudo. Cæsar an Pomœrium extenderit. De Nerone, Vespasiano, Trajano item dubitatum. Plinius à censurâ Viri Magni vindicatus.*

[1] URBEM ROMAM *Terrarum & Maris universi Dominam* olim ἑπτάλοφον

A Græ-

1 Dionys. Halicarn.

Græci, *Septicollem* Latini; aut *Septemgeminam*, & (si proba est viri magni [1] in Varrone conjectura) etiam *Septimontium* appellarunt. Septem enim montes, sive colles ambitu latipatente complexa in tantam amplitudinem paullatim excrevit, ut non Urbis tantùm instar unius, sed tanquam τῆς οἰκουμένης ἐπιτομῆς [2], immò Orbis totius intra mœnia sua collecti haberet. Unde Divinus ille Italiæ Homerus in Æneidos sexto:

—— *Illa inclyta* ROMA
Imperium terris, animos æquabit Olympo:
SEPTEMQUE *una sibi muro circumdabit* ARCES.

Et ingeniosissimus Naso:

[3] —— *Quæ de* SEPTEM *totum circumspicit Orbem*
MONTIBUS, *Imperii* ROMA *Deûmque locus.*

Claudianus etiam magnificè:

[4] *Quæ* SEPTEM SCOPULIS *Zonas imitatur Olympi.*

Cui rei, ut in mystico illo Pythagoræorum Septenario, tantum religionis inesse voluerunt, ut ROMAM ipsam habitu Viraginis effictam in

1 Turnebi. 4. de L. L.
2 Polemon Sophista apud Galenum.
3 1. Tristium.
4 3. de laud. Stilic.

in Numis aliisque Monimentis septeno vertice residentem effinxerint, & SEPTIMONTIUM (*quòd septimus mons Pomœrio jam esset inclusus*) [1] diem festum celebrârint. Eo die Romani utpotè ominatiore (quod Kalendis etiam Jani & Martis factitatum) sibi mutuò Xeniola & strenas missitabant. Discimus è doctissimo Tertulliano, libro de Idololatria: *Etiam strenæ captandæ, & Septimontium, & brumæ, & Caræ cognationis Honoraria exigenda omnia*: ubi quàm lubenter legerim: *Septimontio & brumâ*; nisi doctioribus aliter videtur. * Imperator etiam ipse R. P. dabat; testis Suetonius [2], de FLAVIORUM ultimo: *Septimontiali sacro quidem & Equiti panaria, & plebi sportellas cum opsonio distribuit. Et*, quò hilarior dies esset, *initium vescendi primus fecit*. [3] Festum autem illud non urbanatim, tanquam in exculto populo; sed rusticatim, quasi à mon-

1 Plutarch. in Ætiis, & Varro 4. de L. L.

* *Caute hæc addit; quippe Tertullianus ibi nomen ipsius sacri usurpat pro solennitate tunc usurpata & re tunc donari solita; ut fecerunt quoque in vocabulo sigillariorum.*

2 Domit. cap. 4.

3 Varro lib. 4. de L. L. ‡

‡ Respicit Varronis verba hæc in libro V. de L. L. *Dies septimontium nominatus, ab heis septem montibus, in queis sita urbs est, feriæ, non populi, sea montanorum modo, ut Paganalia, quæ sunt alicujus pagi.*

à montanis paganisque fiebat. credo ut primigeniæ simplicitatis reminiscerentur Quirites, cùm

1 *Parva saginati lustrarent compita porci,*
Pastor & ad calamos exta litabat ovis.

Nisi fortè à rusticis ea solemnia desumta, quîs & 2 MONTINI, seu MONTENSES Dei venerationi erant, & *Paganalia*, haud dissimilia sacra, celebrata. SEPTIMONTIUM verò in Fastis Pontificiis AGONALIA & AGONIA appellari Verrius Flaccus autor est, nec vanâ etymologiâ; cùm & montes ipsi *Agones* olim dicerentur, & Quirinalis, *Agonius*: & porta quæ inter colles sita, 3 antiquissimo nomine *Agonensis*. inde *Agonales* aut *Collini Salii*, quòd eorum sacellum ἐπὶ τοῦ κολλίνου λόφου, ait Dionysius; haud longè fortassis ab hac porta. SATURNIUM autem, sive CAPITOLINUM, montem an Romulus Urbi suæ QUADRATAE primùm adjunxerit, frustra disputari censeo ab

1 Propert. lib. 4.
2 Vett. inscr. & Arnobius cum Augustino. Varro ibidem.
3 Festus *in Agonium.* *
* *Atqui apud Festum nihil de ea ratione, quod esset porta inter colles sita, sed tantum* Collina porta Agonensis *vel* Ægonensis. *An igitur reliquæ portæ non sic erant aut saltem quodammodo, inter colles? Donatus deducit a collibus Quirinali & Viminali, æquata ibi planicie conjunctis; at Nardinus ab ipso nomine collis Quirinalis, qui olim Agonius.*

ab eruditis: nam Cornelius Tacitus, [1] magnæ apud omnes fidei ſcriptor, cùm illius Pomœrium definivit, mox adjecit: CAPITOLIUM *non à Romulo, ſed à T. Tatio additum Urbi credidere*: quâ loquendi ratione rei incertitudinem ſatis oſtendit. Fuiſſe quidem à Romulo munitum in novæ Urbis tutelam Dionyſius oſtendit lib. II. ubi de initiis Sabini belli: Ἐν τούτῳ δὲ καὶ ὁ Ῥώμυλος ἀντιπαρεσκευάζετο τὰ κράτιστα, ὡς ἀμυνούμενος ἄνδρας τὰ πολέμια ἀλκίμους: τοῦ μὲν Παλατίου τεῖχος, ὡς ἀσφαλέστερον εἶναι τοῖς ἔνδον, ὑψηλοτέροις ἐρύμασιν ἐγείρων, τοὺς δὲ παρακειμένους αὐτῷ λόφους, τόν τε Αὐεντῖνον, καὶ τὸν Καπιτωλῖνον νῦν λεγόμενον ἀποταφρεύων, καὶ χαρακώμασι καρτεροῖς περιλαμβάνων. Accedit teſtimonium Suidæ, in lexico, qui verbis alicujus veteris ſcriptoris ſic habet: Ὁ Ῥώμυλος μετὰ τὸ κτίσαι τὸ Παλάτιον (id eſt, poſt Romam Quadratam conditam) ἔκτισε καὶ τὸ Καπιτώλιον, ὅ ἐστι κεφαλὴ τῆς πόλεως. Muro etiam incluſum Capitolium fatetur Strabo lib. 5. ſed pro *Aventino Dionyſii* τὸν Κυϊρῖνον λόφον nominat. Ego tantùm credam tumultuariam aliquam munitionem fuiſſe, adverſus ſubitos hoſtium incurſus paratam. Nam Livius, aliique, qui jam inde Arcem Capitolinam,

1 Ann. 12.

nam, aut Tarpeiam, dicunt, vereor ut magis temporum suorum usum, quàm τὸ τῆς ἱστορίας πρέπον hic observârint. Qui autem colliculi à Romulo novæ Urbis muro priùs inclusi sint, significare videtur Antistius Labeo, his verbis: SEPTIMONTIO [1] *hisce montibus Feriæ: Palatio, cui sacrificium quod fit, Palatuar dicitur. Veliæ cui item sacrificium: Fagutali, Saburæ, Germalo, Oppio, Cælio* [2] *Monti, Cispio monti.* Non tamen de primâ illâ loquor, quæ solum Palatium comprehendit, sed auctiore illâ ante T. Tatium adhuc in Regni communionem assumtum: de qua disertè Livius lib. I. *Crescebat interim Urbs munitionibus, cùm alia atque alia appetendo loca in spem magis futuræ multitudinis, quàm ad id quod tum hominum erat, muniret.* Facta ea Urbis auctio, atque munitio paulò antè quàm Asylum in Capitolio apertum; ut primam eam rectè dixeris Romani Pomœrii prolatationem, quam nescio an eruditorum quisquam hactenus observârit. [3] Altera porro ea fuit, cùm Sabinis intra civitatem receptis, Capitolinus, cum parte [4] Cœlii & Qui-

1 Apud Festum hac voce.
2 Parte ejus, ita Liv. lib. I.
3 Dionys. & Liv. ibidem.
4 Nam totum Cœlium Tullus Hostilius, Quirinalem Servius inclusit.

Quirinalis, Pomœrio adjuncti, novæque multitudinis habitationi concessi. Capitolium autem tunc primum legitimis effatisque finibus clausum videri, argumento est ab Antistio Labeone in collium Catalogo esse prætermissum; & ab Historicis omnibus traditum, recepto demum T. Tatio intra Pomœrium fuisse receptum. Quod Sacrum igitur initiò brevium colliculorum, à Romulo Urbi additorum gratiâ celebratum est; posteà grandium illorum honori datum videtur, qui laxiore mœnium spatio circumjuncti sunt, isti videlicet: PALATINUS, CAPITOLINUS, QUIRINALIS, AVENTINUS, COELIUS, VIMINALIS, ESQUILINUS. *Septem Arces*, à Virgilio; *Septem Juga*, à Papinio; *Septem Scopuli*, à Claudiano; *Septem culmina*, *vertices*, *montes*, *colles* à reliqua scriptorum classe dicti. Quòd VATICANUM iis & JANICULUM nonnulli 1 adnumerant, minus religiosi Antiquitatis, aut periti Romanæ τοπογραφίας esse videntur, nobis sanè quia trans Tiberim flumen, immò extra Latium ipsum in agro peregrino positi, à sacrâ illâ Heptade visi sunt prohibendi. POMOERII autem URBANI PROFERENDI non cuivis temerè

1 Janus Parrhasius & alii.

potestatem factam, sed [1] iis modò, *qui fines P. R. capto de hostibus agro auxissent*; veteres multi prodidêre. Ex Regibus, post Romulum conditorem, unus Servius Tullius usurpavit: ex Romanis Ducibus nemo (fide Taciti) *nisi L. Sulla, & D. Augustus.* Mirum quidem à Tacito hoc scribi, cùm & JULI DICTATORIS eam curam fuisse Dio tradiderit; & præter Dionem Agellius lib. 13. c. 14. cùm ait: *Neque posteà* D. JULIUS, *cùm Pomœrium proferret, intra effatos Urbis fines* (de *Aventino* loquitur) *incluserit.* Quæ igitur Cornelio nostro fidelissimo aliàs scriptori fides? nulla profectò, nisi fortè in Agellio nomen illud D. JULI, non ad ipsum Dictatorem, sed Dictatoris filium AUGUSTUM referendum sit: jure scilicet Romanæ Adoptionis; *quam* (teste Cicerone) *ut aliarum rerum, ita nominis etiam hæreditates sequerentur.* Secuta certè D. AUGUSTUM; nam is cùm alibi sæpè JULIUS, tum in veteri lapide Brixiano sic nominatur:

C. JULIO. C. F.
FAB. SCAPT.
CAESARI
AUGUSTO.

Et

1 Agell. lib. 13. cap. 14. Vopisc. Aureliano. Liv. lib. 1. Tacit. Ann. 12.

Et apud Corn. Nepotem in Attico: *Namque hic contentus ordine equestri, quo erat ortus, in affinitatem pervenit* D. JULI *filii: cùm jam antè familiaritatem ejus esset consecutus.* Unde & leges quædam JULIAE vocatæ, quarum constat Augustum auctorem latoremque fuisse. * Sed jam quid Dioni Cocceiano fiet? cujus diserta illa de Cæs. Dictatore verba: [1] Ταῦτά τε ἐποίει, καὶ νόμους εἰσέφερε, τότε πωμήριον ἐπὶ πλεῖον ἐπεξήγαγε. Defugerem omninò auctoritatem, nisi Romanum adstipulatorem haberet. Fortassis enim è vulgaria magis opinione, quàm probatorum monimentorum fide rem istam conscripserit. Nam cùm destinasset Dictator Julius Pomœrium ampliùs extendere (quod Cicero Atticum suum in [2] epistolis monet) morte præventus consilium suum minus fortè exsecutus est. Inde verosimiliter natum, ut quod ille in consilio habuerit facere, pro facto à posteritate fuerit creditum. Ultrà nihil adsevero. Post D. ergo JULIUM (si is reverà protulit) quatuor item CAESS. [3] Urbem auxisse memoran-

* *Hæc ut vera sunt, ita nuspiam* DIVUS JULIUS *usurpatur a scriptoribus, ut Augustus intelligatur.*

1 Lib. 43.

2 Lib. 13. ad Attic.

3 Dio. lib. 55. Vopiscus Aurel. Zosimus. Vett. Inscript.

rantur DDDD. AUGUSTUS, CLAUDIUS, AURELIANUS, PROBUS; ad immensam ferè magnitudinem urbe productâ; scilicet ut quinquaginta ferè passuum CIↃ sanctior ejus ambitus contineret: cum Pliniano [1] tamen ævo (quod in FLAVIORUM CAESS. tempora incidit) passuum XIII. CIↃ. & CC. collegisse tantum observatum sit. Nam quòd nuper vir magnus, in ADMIRANDIS, numerum hunc augendum putavit, vereor omninò ut frustra sit. Etenim si (quòd ipse fatetur) Campus Martius Dictaturâ Julianâ nondum intra urbem erat admissus, successor ejus fortè illum addiderit, Aventinum adhuc excluserit, quem Claudius adjecit; post Claudium ad Pliniana tempora nemo ampliùs quicquam; vix est ut laxius tum Pomœrium esse potuerit. Pomœrium, dico, sive *sacratiores muri*. [2] Nam si *ad extrema tectorum* respicimus, *nullius urbis magnitudinem cum eâ*, fateor, *fuisse comparandam*. Mensuræ Plinianæ adstipulatur marmorea vetus Tabula, Hortorum Farnesianorum, ad Pacis Romæ nuper inventa; in quâ accurata totius urbis ἰχνογραφία conspicitur, eundemque fermè murorum ambitum, eandemque amplitudinem cum

1 Plin. lib. 3. cap. 5.
2 Plin. ibid.

cum hodiernâ hac Româ proponens. Hodierna autem (ut accuratè etiam à Marliano 1 obſervatum eſt) x. tantum ſtadiis Pliniana illa vetere contractior: cujus rationem ſatis probam reddidit, quòd Amphitheatrum Statilii intra muros tum haberetur, nunc muris ipſis incluſum; illique (ut ex veſtigiis antiquitatis apparet) laxiore gyro foris circumducerentur. Eam verò urbis magnitudinem ſtetiſſe puto ad extremam PROBI 2 vel AURELIANI CAESS. dilatationem; quæ cum ſpatioſior videretur quàm ut irruptione barbarica tutò habitare eam liceret (populo jam per Imperii migrationem vehementer Romæ imminuto) ſenſim ad priores terminos, fineisque redierunt. 3 De Veſpaſiano quidem Auguſto dubitari poſſit, an is ſacratiores muros etiam protulerit, quòd in æneâ Tabulâ Capitolinâ 4 legatur: UTIQUE. EI. FINES. POMOERII. PROFERRE. PROMOVERE. CUM. EX. REPUBLICA. CENSEBIT. ESSE. LICEAT. ITA. UTI. LICUIT. TI. CLAUDIO. CAESARI. AUG. GERMANICO. Quem tamen honorem non admiſiſſe eum ut credam, facit ſcriptorum omnium altiſſimum

A 6 in

1 Lib. 1. cap. 5. Topog. Urbis.
2 Variè enim traditur.
3 Lipſ. Admir. lib. 3. cap. 2.
4 Quam eo Senatus è Laterano tranſtulit.

in hac re silentium; quis enim credat Cornelium Tacitum, Suetonium, Dionem, alios, si admisisset, tam elingues heic futuros, qui sæpè alibi in rebus minoris momenti tam diserti atque diligentes? De Nerone, Trajanoque, par ferè ratio est: quos unus (quod sciam) FL. Vopiscus 1 adjecto R. P. agro barbarico Pomœrium ampliâsse scribit, cujus unius auctoritas vereor ut infirma nimiùm futilisque sit, reliqua veterum Scriptorum classe nequaquàm concinente.

1 In vitâ Aureliani.

CAPUT II.

Mons Capitolinus *olim* Saturnius. Saturnia *Italiæ & Siciliæ. Italia dicta olim* Saturnia. Saturnia *civitas sive castrum.* Saxum Carmentis. *veteres & recentiores ejus Montis habitatores.* Tatienses *vel* Titienses; Ramnes *vel* Ramnenses: Luceres *unde dicti.* Collegium Capitolinorum. *Habitatio honoris caussâ in Capitolio*

lio nonnunquam data. Num & civibus reliquis illhic habitare permissum?

Nescio quæ mortales olim religio, an persuasio, tenuerit, ut Saturnum illum antiquissimum Deorum, plerosque Montium in Italiâ vicinisque locis vel insedisse, vel possedisse crederent. Nam & Diodorus Siculus 1 de patriâ suâ scribit, ad suum usque ævum, editiora ejus omnia *Saturnia* appellata: idemque asserit de Italiâ ipsâ Dionysius. 2 Qui & in Eliate agro, apud Græcos, tumulum quendam Κρόνιον fuisse ait, quem ἱερὸν τ͂ Κρόνȣ νομίζοντες Ηλεῖοι, θυσίαις, καὶ ἄλλαις τιμαῖς, ἐν ὡρισμένοις χρόνοις συνιόντες, venerarentur. Inde & in sacro nostro monte habitâsse creditus, eique SATURNIO fecisse nomen. Urbem * quoque in eâ condidisse, quam de suo nomine *Saturniam* appellârit. Res suis auctoribus non caret. Varro enim, in opere de linguâ Latinâ, 3 vestigia ejus urbis agnoscit, & Tertullianus, in Apologetico, *Civitatem, quam depalaverat Saturnus, usque tunc esse* audacter pronunciat.

1 Lib. 4. 2 Lib 1. Antiq.
* *Oppidum vocat Servius citatus cap. XI.*
3 Lib. 4.

ciat. Accedat vulgatum illud Arnobii: [1] *Janus Janiculi conditor, & civitatis Saturniæ Saturnus auctor.* Minucii quoque Felicis, Octavio: *Itaque latebram, quod tutò latuisset, vocari maluit* (Latium) *& urbem* (Saturniam) *de suo nomine.* Prudentii [2] etiam sub personâ Saturni:

—— placet heic fugitivus & exul
Ut lateam, genti atque loco Latium dabo nomen.
Vitibus incurvam (si qua est ea cura) putandis
Procudam chalybem; nec non & mœnia vestri.
Fluminis in ripâ statuam Saturnia vobis.

[3] Ut omittam Poëtarum Latinorum Principem, qui Euandrum Arcadem inducit, ruta ejus opidi cæsa Trojano hospiti commonstrantem; aliosque (nè actum agam) permultos, qui Saturniæ Capitolinæ meminerunt. Non desunt tamen testes etiam ἀξιόπιστοι, [4] qui comitatum Herculis ab Hispaniâ redeuntis, cùm eum locum attigissent, castellum istud ædificâsse, & in honorem ejus Numinis sic appellâsse scribunt, quod antiquitus pulsum à Jove suis sedibus consedisse illhic

1 Lib. 1. adv. Gent. 2 Lib. 1. adv. Symm.
3 Æneid. 8. 4 Apud Dion. lib. 1.

illhic Saturnum crederent. Quamquam Solinus [1] portam modò ejus Castelli in honorem Saturni *Saturniam* appellatam malit, eaque *Pandana* [2] postea dicta, ut Antiquariorum peritissimi crediderunt. Scriptor autem *ἀνώνυμος de Origine gentis Romanæ*, (quem Sext. Aur. Victorem esse eruditi suspicantur) *Arcem Saturniam* amat dicere; sed minus accuratè. nam in imo monte istud sive opidum sive castellum fuit, arbitratu Sexti Pompeji: *Saturnii* (inquit) *dicebantur, qui Castrum in imo clivo Capitolino incolebant; ubi ara dicata ei Deo ante bellum Trojanum videtur, quia apud eum supplicant apertis capitibus.* Hujus Aræ Græcique apud eam Ritus ubertim meminit Dionysius, eamque in imo clivo, quà è foro in Capitolium ascendebatur, ab Epéis Herculis comitibus, Saturnio numini scribit esse dedicatam. [3] Ab hoc ipso Numine universa deinde Italia SATURNIA nominata. Justinus præter cæteros disertè XLIII. Breviarii Pompejani: *Itaque Italia à Regis nomine*

1 Lib, 1. *

* *Solinum in libros distinctum ab ullo ante hunc J. Rycquium non memini. Sic tamen rursus c. 6. Sed & in Solino* Pandana *legitur, etiam in Varrone.*

2 Junius apud Varronem. Onuphrius Pan. alii.

3 Virgil. 8. Æneid. Festus in *Saturnia*. Diodor. lib. 4. Macrob. in Saturn. Tertull. Apolog.

mine Saturnia appellata est, & mons, in quo habitabat, Saturnius, in quo nunc, veluti à Jove suis sedibus pulso ‡, *Capitolium est.* Et Dionysius primo Antiquit. ἡ νῦν Ἰταλία καλουμένη τῷ θεῷ ἀνέκειτο, ΣΑΤΟΡΝΙΑ ὅς (πρὸς) τῶν ἐνοικούντων ὀνομαζομένη. atque ita vocari solitam in Sibyllinis oraculis ibidem addit, multaque ejus Divinitatis fana per totam regionem, pluresque civitates ejusque * nominis apparere. Certè in oraculo vetustissimo Jovis Dodonæi, ex antiquo Tripode à L. quodam Mommio descripto, ipsa etiam Sicilia, quasi Italiæ pars, eo nomine censebatur. Verba oraculi sunt:

Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατουρνίαν αἶαν,
Ἠδὲ Ἀβοριγενέων Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται.

Sed hæc obvia sanè sunt; & cui antiquariorum hactenus non dicta? Illud tamen nescio an libatum cuiquam, Varroni Ennioque placuisse, à monte nostro Saturnio Italiæ appellationem deductam; unde Ennianum illud in libris de L. Lat. ἀκροτελεύτιον:

—— Saturnius illi
Nomen erat, de quo latè Saturnia terra.

Credo quò P. R. magis placerent, cùm summum Relligionum suarum caput tantæ vene-

‡ Omisit vocem *Saturno.* * Voluit *ejusdem.* ra-

rationis jam-inde fuiſſe oſtenderent, ut univerſæ genti nomen mutaret: nam de antiquâ loci hujus Religione facundè etiam Virgilius:

1 *Jam tum Relligio pavidos terrebat agreſtes*
Dira loci, jam tum Silvam Saxumque tremebant.

nec minùs eleganter ſub perſonâ Euandri quum ſubjungit:

Hoc nemus, hunc (inquit) frondoſo vertice collem
Quis Deus incertum eſt, habitat Deus, Arcades ipſum
Credunt ſe vidiſſe Jovem, cùm ſæpe nigrantem
Ægida concuteret dextrâ, nimboſque cieret.

Propertius ferè ab eadem mente:

2 *Tarpeiuſque pater nudâ de rupe tonabat,*
Et Tiberis noſtris advena bubus erat.

miror tamen *nudam* dicere, quum nemore & dumis conſita vel ante conditam urbem fuiſſe credatur. Virgilius iterùm laudato loco:

Hinc ad Tarpejam ſedem & Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim ſilveſtribus horrida dumis.

mox

1 Æneid. 8. 2 Lib. 4. El 1.

mox ubi de Gallis Capitolium obsidentibus:

Galli per dumos aderant, arcemque tenebant.

Quin & ipse Propertius alibi elegantissimâ ὑποτυπώσει sic eam describit:

[1] *Lucus erat felix ederoso consitus antro,*
Multa ubi nativis obstrepit arbor aquis:
Silvani ramosa domus, quò dulcis ab astu
Fistula poturas ire jubebat oves.

Nudam autem *rupem* cùm dicit, ædificiis & apparatu Sacrorum destitutam intelligit, queis Augustali (id est) suo ævo, super omnia Urbis & Orbis loca erat instructissima. Qui autem mortales quà ante, quà post Saturni in Italiam adventum Capitolio insederint, quum accuratè olim sit traditum, negligendum nobis minimè videtur. Ante illum fide Virgilii, quæ supra Poëtam hic esse videtur:

[2] *Hæc nemora indigenæ Fauni, Nymphæque tenebant,*
Gensque virûm truncis, & duro robore nata,
Queis neque mos neque cultus erat.

Saturnus autem cùm advenisset,

—— genus indocile ac dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit.

Ru-

1 Lib. 4. El. 4. 2 Ibidem.

Rudes illos homines (ait [1] Minucius) *multa docuit, ut Graculus & Politus; literas imprimere, numos signare, instrumenta conficere.* Saturnum multis pòst sæculis subsecuta illa fatidica Nicostrata, [2] quam *Carmentam* & *Carmentim* Romani dixêre. Ea cum Euandro Filio & Arcadibus domo profecta cæteris Palatium occupantibns, ipsa in infimâ, quæ flumen Tyberinum respicit, Capitolini montis parte consedit. Fanum ibi posteà ejus memoriæ à Romanis exstructum, [3] nomen etiam loco *Saxo Carmentis* aut *Carmentali* datum:

Et Carmentali Romano nomine Portæ.

Cùm igitur Geryone devicto [4] Hercules in Græciam rediturus ad Carmentim accessisset, partem copiarum suarum Elidensium, qui locorum amœnitatem amaverant, subsistere illhic permisit. Quorum alii propè Palatium Euandri, alii in ipsa Saturnia, ducta velut Colonia, constiterunt. Post Arcades προσελήνας, & Eleatas advenas, regnante Fauno, ut volunt, Trojani cum Ænea Anchisæ F. profugi, in hanc oram delati sunt, pariterque ea de-

1 In Octavio.

2 Virgil. lib. 8. Liv lib. 1. Solin. lib. 1 Dionys. lib. 1. Plutarchus in Ætiis. Auctor orig. gent. Rom.

3 P. Vict. & Sex. Ruf. Reg. 8.

4 Dionys. ib. Varro 4. de L. L. Serv. in 8. Æneid. Auctor origin. gent. Rom. Dionys. ibid.

delectati Saturniam Capitolinam nova civitate compleverunt. Hos ſubſecuti creduntur Albani, XVI. poſt bellum Trojanum ætate, Palatium & Saturnium montes mœnibus tum primùm valloque complexi : in queis vilia antè paſtorum mapalia conſtiterant. Tibullus id videtur innuere puriſſimo iſto verſu :

[1] ROMULUS *æternæ nondum fundaverat Urbis*
Mœnia, conſorti non habitanda Remo.
Sed tunc paſcebant herboſa PALATIA *vaccæ.*
Et ſtabant humiles in JOVIS ARCE *caſæ.*

Manilius etiam IV. Aſtronom. à Ludovico Carrione I. C. emendatus :

—— *Troja ſub uno*
Non everſa viro fatis viciſſet in ipſis,
Aut lupa projectos nutrîſſet Martia fratres :
Roma caſis enata foret; pecudumque magiſtri
In Capitolinos duxiſſent fulmina monteis.

Sed æternæ jam Urbis feliciſſimis fundamentis in Palatino poſitis, Pomœrio quidem Capitolinus forte prohibitus, ut ſupra docuimus,

1 Lib. 2. El. 5.
2 Dionyſ. lib. 1. Tacit. Ann. 12. Plut. Rom.

mus, Asylum tamen in eo apertum colligendæ multitudini, & munitio aliqua facta præripiendo hosti commodissimo loco. T. tamen Tatius seu vi bellica, seu, quæ aliorum opinio est, proditione Tarpejæ loco potitus, regnique consors factus mœnibus eum coërcuit primus, & Sabinis suis habitandum concessit: qui deinde *Tatienses* à Regis sui nomine, sicut *Ramnenses* à Romulo, Tribules alii antea dicti. His tertia demum classis adjuncta *Lucerum*, 1 eorum, ut quidam credidere, qui ad Asylum in lucos 2 confluxerant; sed Livius *nominis & originis caussam incertam esse mavult. Tatienses* igitur sive *Titienses* Livio & Sexto Pompejo, qui cum T. Tatio bellum gesserant in Capitolio vicinisque locis habitationem instituerunt. Nec alios fuisse existimem, quos à celebri deinde mansione CAPITOLINOS dixere, quorumve collegium Urbe à Gallis liberata, M. Furius Camillus Dictator instituit: *eorum* scilicet *qui in arce & Capitolio habitarent.* 3 Horum CAPITOLINORUM ipse M. Tullius meminit in epistolis 4 ad Q. fratrem, eosque *è suo Collegio M. Furium Flaccum equitem Rom. hominem nequam*

1 Dionys. lib. 2. Plutarch. 16. Ascon. in 3. Ver. 4.
2 Alii à Lucumone volunt dictos.
3 Liv. lib. 5. 4 Lib. 2.

quam ejecisse scribit. Instituti causam ipse Dictator Camillus recitat apud Livium: CAPITOLINOS LUDOS *solennes* [1] *aliis addidimus*, COLLEGIUMQUE *ad id novum auctore Senatu condidimus*. Sed Ludorum horum & Collegii alibi εὐκαιρότερον meminerimus. Subit hic tamen dubitare florentissimis P.R. rebus, quum tot Divinitatum Templis, Delubris, Sacellis, Aris mons iste obsideretur, an humanæ habitationi locus aliquis relictus? Videtur quidem in Arce habitatio militum præsidiariorum fuisse, quos à munere in Arce excubandi *Arcubias* sive *Arcubios* Festus & Isidorus dixere. Æditurorum etiam ac Sacrificulorum, ad tutelam custodiamque τοῦ ἱεροῦ κόσμου: quorum meminere Veteres inscriptiones, teste Huberto Goltzio in Thesauro Antiquario, & C. Oppius Juliusque Hyginus apud Agellium, Lib. VII. cap. I. *Æditúos Templi sæpe esse demiratos* scribunt *quòd solum Africanum noctu in Capitolium ingredientem canes semper in alios sævientes neque latrarent, neque incurrerent.* [2] Apud Sacrificulos verò tunc ipse Domitianus latuit, cùm bello civili Vitelliano Capitolium incenderetur, ut postea dicemus. Fuisse & alio,

1 Al. Solennibus.
2 Sueton. Domit. cap. 1. Tacit. 3. Histor. lib. 4.

aliorum in Capitolio mansiones vel Propertius ostendit de meretriculâ Teïâ:

Altera Tarpejos est inter Teïa lucos
Ebria, sed potæ non satis unus erit.

Inde (ut opinor) acerbissima illa januæ querela, libro ejus primo, [1] quòd loco tam religioso & augusto nocturnis potorum rixis saucia, turpibusque corollis obvelata, & obscenis carminibus impleta, Dominæ suæ turpitudinem fateretur: ostendit etiam Lampridius in Heliogabalo: *Celebravit item* (de monstro eo loquitur) *tale convivium, ut apud amicos singulos singuli missus appararentur: & quum alter maneret in Capitolio, alter in Palatio, alter in Cælio, alter trans-Tyberim; ut quisque mansisset, tamen per ordinem in eorum domibus singula fercula ederentur.* Nunquid & Martialis eò trahendus Epigrammate ad Marcellam?

[2] *Tam rarum, tam dulce sapis, Pallatia dicent,*
Audierint si te vel semel, esse suam.
Nulla nec in mediâ certabit nata Suburrâ,
Nec Capitolini collis alumna tibi.

Non dicturus hoc certè tam præfidenter, nisi cuivis etiam licuisset in Capitolio habitare. Quid, quòd honoris caussa domus etiam in Capitolio interdum assignata? Exemplum est

1 El. 16. 2 Lib. 12.

eſt in M. Manlio Capitolino, in cujus Eulogio apud Sext. Aurel. ſic legitur: *Captâ Urbe auctor in Capitolium confugiendi civibus fuit. quadam nocte clangore anſeris excercitus Gallos aſcendentes dejecit. Patronus à civibus appellatus, & farre donatus eſt: domum etiam in Capitolio publicè accepit.* Sed cùm in regni adfectati ſuſpicionem veniſſet, domus ea diruta, & Junonis ibi Monetæ Templum fabricatum eſt, cum edicto: [1] NEQUIS. PATRICIUS. IN. ARCE. AUT. CAPITOLIO. HABITARET. * Quod ea res propter loci munitionem novandis quandoque rebus opportuna videretur. Caligula tamen Tyrannus à Jove (ut ſibi videbatur) in contubernium adſumptus, quo propior illi eſſet, in areâ Capitolinâ novæ domus fundamenta jecit: teſte Suetonio. [2] Sed fundamenta tantùm. Nam de perfectâ illâ à nemine, quod ſciam, hactenus eſt proditum.

1 Plutarch. in Quæſtion. Cic. pro domo ſua. Ovid. in faſtis.

* Exſtat etiamnum in ipſo foro in longiſſimo ſaxo duobus verſibus inciſa, ſed de aliis ædibus, inſcriptio hæc literis plane cubitalibus:

URBE. ROMA. IN. PRISTINAM. FORMAM. RENASCENTE. L. AUR. MANLIUS. KARITATE. ERGA. PATRIAM. HAS. AEDIS. SUO.

NOMINE. MANLIANAS. PRO. FORTUNAR. MEDIOCRITATE. AD. FORI. *Uſum* POS.......

2 Cajo cap. 22.

Caput III.

De altero Montis nomine Tarpejo *dictum: ejusque origo investigata. Historia an Fabula Tarpejæ discussa: ejusque è Scriptoribus innocentia probata.* Saxum & Tarpejum *ἁπλῶς interdum posita.* Saxum infame *à reliquo Monte sejunctum: aliaque in hanc rem.*

Qui sæpe habitatores, sæpe etiam nomen mutavit Mons Saturnius. uti

Sæpius & nomen posuit Saturnia tellus.

nam qui à Saturno *Saturnius*, à Carmenta *Carmentalis*, à Sp. Tarpejo Arcis præfecto, ut quidam credidere, vel à Tarpeia Sp. filia Vestali, ut aliis traditum, Tarpei appellationem sortitus est. Ταρφαῖον notat corruptè Stephanus de Urbibus: reliqui Græcorum castigatius Ταρπαῖον, Ταρπεῖον, aut Ταρπήϊον. Propertius disertè ab illis partibus:

A duce Tarpejo mons est cognomen adeptus,
At vigil injustæ præmia sortis habes.

Sed reliqui omnes Tarpejæ Virgini magis patrocinantur. Tertiam hujus etymi caussam adducit Verrius Flaccus, vel ejus potiùs abbreviator Festus: [1] *Saxum*, inquit, *Tarpejum appellatum ajunt partem montis, qui ob sepultam Tarpejam ibi Virginem, quæ eum montem Sabinis prodere pacta erat, ita nominatus est. vel ab eo, quòd quidam nomine L. Tarpejus Romulo Regi, cùm propter raptas virgines adversaretur, in ea parte, quâ Saxum est, de noxio pœna sumta.* Hactenus plenè atque rectè; nam quod vulgò adjungitur: *Tarpejum dictum.* omni sacramento contenderim, adsutum aliquod glossematium esse. Mihi verò (si in tanta Annalium obscuritate & vetustate à fabulis haud multùm abhorrenti, divinare permissum) Sex. PropertI opinio semper verosimilior est visa, ut quæ nobilioris originis nobilissimum locum non dedeceat & cujus exempla in omni Historia passim reperire est. Nihil enim magis commune atque obvium, quàm à Regibus, Ducibus, Præfectis loci alicujus appellationem derivari. Nam ista quæ de proditore virgine dicuntur Græcorum μυθυδρίοις potiùs, quàm Romanæ historiæ decere videantur. quod cuivis etiam in confesso erit, qui geminam omni-

1 Lenis in Festo conjectura.

omninò Hiſtoriam ex fabulamentis Ariſtidæ Mileſiacis in Plutarchi parallelis obſervaverit. Nam quod optimè à bono Hiſtorico olim dictum: *datur hæc venia antiquitati, ut miscendo humana divinis primordia Urbium augustiora faciat.* Si cui tamen magis lubitum eſt à Virgine montis nominationem ducere, haud planè abnuam: modò à purâ eâ & inculpatâ, qualem antiquiſſimi etiam ſcriptores prodidere. L. enim Piſo, vir Cenſorius, apud Halicarnaſſæum [1] cenſuit præclaro illo περὶ ἀριστερῶν ψαλίων pacto nihil aliud voluiſſe eam, *quàm nudatos ſcutis hoſtes* (*quæ inſtar armillarum lævâ geſtarentur*) *civibus ſuis trucidandos objicere.* [2] Pulcro ſanè conſilio, ſi Fortuna acceſſiſſet. cui & Livius ipſe accedere videtur: *Sunt* (inquit) *qui ex pacto tradendi quod in ſiniſtris manibus eſſet, decretò arma petiſſe tradant: & fraude viſam agere, ſua ipſam peremptam mercede.* [3] Nec ambiguè etiam is, qui Livium in compendium redegit: *Sabinis prodita porta per virginem, nec dolo. Sed puella pretium rei, quam gerebant in ſiniſtris, petierat, dubium clypeos an armillas.* Addit tamen de anulis Dionyſius [4] ex

1 Lib. 2. 2 Lib. 1.
3 Flor. lib. 1. 4 Lib. 2.

Fabio & Cincio, antiquiſſimis item Scriptoribus, καὶ αὐτὴν (inquit) ἔρως εἰσέρχεται τῶν ψαλίων, ἃ περὶ τοῖς ἀριστεροῖς βραχίοσιν ἐφόρουν, καὶ τῶν δακτύλων. è queis Valerius deſumpſiſſe videatur, cùm ſcribit, [1] *pactam eam quæ in ſiniſtris manibus gerebant. erant autem his armillæ & anuli magno ex pondere auri. Loco autem potitum agmen Sabinorum puellam præmium flagitantem, armis obrutam necaviſſe: perinde quaſi promiſſum (quod ea quoque lævis geſtaverant) ſolvens.* Siniſtra igitur magis invaluit opinio [2] quaſi deſiderio potiundi auri impiam proditionem Tarpeja conceperit. Poëtæ fermè omnes in hac ſententia, maximè delicium noſtrum Propertius, qui bene longa Elegeia eam accuſat, & ſic tandem exclamat:

[3] *Et ſatis una malæ potuit mors eſſe puellæ,*
Quæ voluit flamas fallere, Veſta, tuas?

quanquam Romanus ille Callimachus Poëtica libertate amore Sabini Regis ad nefaria conſilia capienda impulſam finxerit. Simylum credo Poëtam transmarinum imitatus, è cujus Elegeiis fere eadem apud Plutarchum, ſed de Gallorum Rege concepta, nar-

1 Lib. 9. cap. 6.
2 Vide etiam Auguſtin. 3. de Civ. cap. 13.
3 Lib. 4.

narrantur. 1 Verba hujus ſunt:

Ἡδ' ἀγχοῦ Ταρπήϊα παραὶ Καπιτώλιον
αἶπος
Ναίουσα Ῥώμης ἔπλετο τειχολέτης. *
Κελτῶν ἣ στέρξασα γαμήλια λέκτρα γενέσθαι
Σκηπτούχων πατέρων οὐκ ἐφύλαξε δό-
μους.

quæ nos ita Latinè reddebamus:

Ad Capitolinum Romæ Tarpeia Lucum
Dum colit, exitium Virgo dedit pa-
triæ:
Quæ malè Gallorum dum geſtit Rege po-
tiri,
Nobilium amiſit Regia tecta Patrum.

Antigonus verò quidam apud eundem Scriptorem (puta ut ſpecioſo prætextu rem totam velaret.) T. TatI eam filiam fuiſſe, & à Romulo inter Sabinas abreptam thalamoque ejus ſuis ingratiis ſociatam, juſtam comminiſcendæ proditionis occaſionem habuiſſe. Sed eorum fides penes auctorem ſit. longè quidem omnibus immitiùs Sillius Italicus de ejus apud inferos ſupplicio ſic canit:

2 *Illa autem quæ tondetur præcordia roſtro*
Alitis (en quantum reſonat plaudentibus alis.

 Ali-

1 In Romulo.
* Voluit τειχολέτις.
2 Lib. 7.

Aliger ad paſtum rediens Jovis!) hoſtibus arcem
Virgo (immane nefas!) adamato prodidit auro
Tarpeia, & pactis reſeravit clauſtra Sabinis.

[1] Prorſus ut Prometheum quendam ſpectare te credas toto Caucaſo explicitum, Τὸν κάκιστα ὀρνέων ἀπολλύμενον ἀετὸν τρέφοντα τῷ ἥπατι. Quàm ſeverè etiam is, qui ſuprà, Valerius: [2] *Abſit reprehenſio, quia impia proditio celebri pœnâ vindicata eſt!* Sed (ut in umbra quaſi veritatis diutius ludam) lubet Veteres illos interrogare, qui impiam Tarpeiæ proditionem cenſuerunt, crediderintne P. R. infamem ſceleſtamque Virginem ſepulcro poſito, & annua cærimonia fuiſſe veneraturum? Poſuerunt tamen, veneratique ſunt; quod & graviſſimus auctor Piſo apud Dionyſium [3] atteſtatur. imò & reliquias ejus non antè transferri permiſere, quàm fabricandæ Ædis Capitolinæ cauſſa à cæteris Religionibus area liberaretur. Dicam ampliùs, quis proditori effigiem, & quidem in Templis ſtatuiſſet? ſtatuere tamen Romani in Æde Jovis Metellina, [1] & for-

1 Lucian. Prometh. 2 Lib. 9.
3 Lib. 2. Plutarch. Romulo.

[1] & fortè etiam inter Numina habuerunt. Inter fausta saltem nomina nomen ejus habitum virgines à Pompilio [2] in Vestæ ministerium adlectæ, fidem faciunt: GEGANIA, VERANIA, CANULEIA, TARPEIA. Et quis credat etiam in publicis Numorum monumentis ejus effigiem fuisse collocandam, qualem in PETRONIAE & TITURIAE Sabinarum gentium Denariis conspicimus, nisi innocentem credidissent? eos à CL. V. Fulvio Ursino [3] antè divulgatos, publici nunc iterum juris faciam: Utcumque se res habeat, illud certò constat, primo Sabino bello, Montem nostrum Saturnia velut potestate absolutum ad Tarpeiam familiam adoptione transivisse. ἀκυρώτερον tamen (nequid errent Philologi) *Montem* aut *Rupem Tarpeiam* dicimus, quam *Saxum* ipsum. nam cùm hoc dicimus, infamem ejus partem propriè signamus, [4] ἀφ' ἧς ἐῤῥίπτουν τοὺς κακούργους, *quem* [5] *ut funestum locum noluerunt cùm reliquâ Capitolii parte conjungi*; cum illa montem totum. Saxum autem Tarpeium ἁπλῶς *Saxum* etiam dixere. Virgilius [6] de hoc:

1 Festus in *Tarpeiæ effigiem.*
2 Plut. Numa.
3 Lib. de fam. Rom.
4 Plut. Romulo. 5 Festus in *Saxum.*
6 Lib. 8. ubi *Serv.* vide.





Æ





Æ

—— Jam tum silvam saxumque tremebant.

Horatius:

[1] *—— Dionysi filius audes*
Dejicere è saxo civeis?

cujusmodi pars in Aventino etiam spectabatur, *Saxum* appellata: sub quo Templum bonæ Deæ Subsaxanæ. Ovidius v. Fastor:

Est moles nativa loco, res nomina fecit,
Appellant Saxum. pars bona montis ea est.
Huic Remus institerat frustra, quo tempore fratri
Regna Palatinæ ritè dedistis aves.
Templa Patres illhic oculos exosa vireleis
Leniter acclivi constituêre jugo.

[2] Dicebatur etiam eadem ἁπλότητι *Tarpeium.* ut videtur è loco Senecæ: *Cùm Tarpeio proditorem hostemve publicum imponam.* & Sidoniano Hemistichio:

—— cùm Brennica signa.
Tarpeium premerent.

quamquam latiùs ibi paullò pro monte toto, sive Arce Capitolina Saxo Tarpeio contigua. Nunc de supplicio illo præcipitationis rem ferè novam, & paucis adhuc tentatam expediam.

1 1. Sermon. 2 Lib. 1. de Ira.

CAPUT IV.

Supplicium ex alto deturbandi Hebræis, Græcis & Romanis usurpatum. perjuri apud hos, perduelles, fures & flagitiosi ferè omnes sic puniti, etiam viri innocentes & illustres multi. Qui sint Deturbati saxo, *qui* Barathrones. *Saxi ipsius altitudo descripta.* Agger TarquinI, Sestertium. Robur. *quando hæc pœna apud Romanos omissa. Appiani error notatus.*

Primi (quod sciam) mortalium Hebræi nocentes suos sic punivere. Sic Jezabel [1] fœminam impiam sub imperio Jehu, sic filiorum Seir captiva decem millia, jussu Amasiæ, [2] in sacris litteris contrucidata legimus. Plura tamen magisque obvia tetræ consuetudinis in Græcorum Annalibus exem-

1 4. Reg. cap. 9.
2 2. Paral. c. 24. Plutarch. Theseo.

empla. ita Aſtyanax Hectoris ab Ulyſſe, Theſeus à Lycomede, 1 Daphidas Sophiſtes ab Attalo Rege; 2 Æſopus fabulator à Delphenſibus, & 3 Arruntius quidam Paterculus à Cenſorino Ægeſtanorum Tyranno è ſublimi deturbati. Eleæorum etiam *ſanctio* fuit, teſte Pauſania, *de Typeo & Saxo fœminas eas dejiciendi, quæ ad Olympia penetraſſent; aut Alpheum amnem, diebus nefaſtis transmiſiſſent.* Morem itaque præcipitandi reos dicerem cum primis legum tabulis è Græcia Romam advectum, niſi obſtaret VerrI Flacci autoritas, qui L. Tarpeium, ob eam (quam ſuprà diximus) cauſſam, à Romulo ſic punitum tradidit; aut etiam 4 Dionyſii, qui Sp. CASSIUM Conſulem (circa annum v. c. CCLXIIX.) *Majeſtatis damnatum, & à Quæſtoribus Saxo dejectum* ſcribit; *vulgari tum* (ut ibidem ait) *apud Romanos ſupplicio:* multis ſcilicet antè leges è Græcia allatas annis. ut quas Decemviri CCCIII. v. c. primùm Romæ promulgarint. 5 Sanè in XII. diſertim habetur: FALSUS. TESTIS. SAXO. TARPEIO.

1 Val. Max. lib. 1. cap. 8.
2 Max. Plamides. *
3 Plutarch. in Parallelis.
4 Lib. 8. 5 Agell. lib. 12. cap. 1.
* Voluit *Planudes.*

PEIO. DEJICITOR. &: SERVOS. MANIFESTO. FURTO. PREHENSOS. VERBERIBUS. AFFICITO. ET. E. SAXO. PRAECIPITATO. Unde mirum eſt quid Appiano Alexandrino in mentem venerit, qui libro III. Bellor. civil. *liberis tantum hominibus* tale ſupplicium putat eſſe conſtitutum *. Ad antiquiſſimum hoc ſupplicii genus ſpectare videtur Plautinum illud Trinummo:

Qui in amore præcipitavit, peiùs perit, quàm ſi Saxo ſaliat.

Et Lucretianum iſtud è lib. III.

——— *Sceleriſque luella*
Carcer & horribilis de Saxo jactu deorſum.

Verè horribilis Romæ & è loco horribili. quem egregiè ſic deſcribit Romanus [1] Declamator: *Stat moles abſciſſa in profundum, frequentibus exaſperata ſaxis, quæ aut elidant corpus, aut de integro graviùs impellant. inhorrent ſcopulis enaſcentibus latera, & immenſa altitudinis triſtis aſpectus; electus potiſſimum*

mum

* Nequaquam ille ſic abrupte; ſed quum quidam liberi & ſervi capti eſſent, ſervos quidem κρεμασθῆναι, οἱ δὲ ἐλεύθεροι κατὰ τοῦ κρημνοῦ κατεῤῥίφησαν. Itaque ſi quid ex hoc exemplo vult ſtatuere, in delicto, quod in ſervis cruce puniebatur, ſi commune erat, in liberis ſaxo puniri ſtatuit: niſi illic ſimpliciter narrat, quid contigerit.

1 Arell. Fuſcus apud Senecam.

mùm locus, nè damnati sæpiùs dejiciantur. [1] Nec abludunt illa Silliana verbis Annibalis:

> *Tarpeios iterum scopulos, præruptaque saxa*
> *Scandatis licet, & celsam migretis in Arcem.*

Cujus profunditatem ut hodiè minuisse aliquid fatear crebris Ædificiorum ruinis plana Urbis sensim attollentibus; tamen si quis curioso oculo (quod sæpè ipsemet feci) totam rupem consideraverit; fateatur necesse est, ne nunc quidem impulso homini ruinam inde nisi lethalem futuram. Ex omni autem sontium genere maximè hîc sistebantur Perduellionis & Læsæ Majestatis rei. Unde Mamertinus in Panegyrico Juliani, de istis loquens: *Mitto veteres qui saxo præcipites dati, quorum bona publicata, domus erutæ, interdicta posteris nomina.* Talis fuit *Sp.* ille *Cassius* (cujus mentionem fecimus) è Capitolio dejectus ut Dionysio videtur; ut aliis, alio mortis genere confectus. [2] & M. illius *Manlius*, à servato Capitolio CAPITOLINUS dictus, *cui locus idem & eximiæ gloriæ monimentum, & pœnæ ultimæ fuit.* Quanquam Cornelius Ne-

 pos

1 Lib. 2.

2 Dionys. l. 8. Liv. l. 2. & 6.

pos apud Agellium, 1 *verberando* potiùs *necatum* ſcripſerit. adeò in rebus illis vetuſtiſſimis ipſa incertitudine nihil exſtat certiùs. 2 Talis iterùm *Sext. Licinius* (*Lucillium*, ut reor, corruptè Vellejus 3 vocat) Senator & Tribunatu functus; quem ſucceſſor ejus P. Lænas, Marianarum partium, prima anni die, qua fauſta omnia dici fierique ſolent, de rupe dejecit. 4 *Ælius* item *Saturninus* ex eodem ordine, quem Tiberius, *quòd de ſe carmina quædam famoſa ſparſiſſet*, ſimili morte confici juſſit. 5 Damnato quoque Ælio Sejano, cùm amicitia ejus ſummi criminis objiceretur loco, Senatores item permulti, Equiteſque, & ex infima plebe, omnis ætatis, omniſque ſexus in carcerem conjecti, ibique trucidati, vel è Saxo Tarpejo, non manu lictorum aut carnificum, quod fieri aliàs ſolitum, ſed (ô rei indignitatem!) ipſorum Conſulum 6 aut Tribunorum præcipitati. Sed

1 Lib 17. cap. 21.
2 Plutarch. Mario. Epit. Liv. lib. 90.
3 Lib. 2. 4 Dion. lib. 59.
5 Tacit. ann. 6. 6 Dion. lib. 58. *

* Verba hujus Dionis ſunt, ὑπὸ τῶν δημάρχων ἢ καὶ τῶν ὑπάτων. Ea locutio non utique manus eorum deſignat, ſed præſentiam & auctoritatem in exigendo ſupplicio. Sed neque Dion facit iſtam oppoſitionem inter lictores carnificeſque & conſules tribunoſque.

Sed (nè Coss. tantum aut Tribunos ea turpitudine oneremus) ipse C. Cæsar, dignus tali avo nepos, claros multos & opulentos viros, verbo criminis hujusce postulatos, re autem vera fortunarum suarum lautitia effusissimam prodigalitatem sustentaturos, [1] *suapte manu damnatos è Capitolio dejecit.* Prorsus ut inter summam Majestatem & carnificem jam nihil interesset. Quàm injustè autem aliquando viri etiam magni ad supplicium hoc raperentur, Q. Metelli Macedonici periculum ostendit, qui *in ipso flore dignitatis* [2] *suæ* (verba [3] Plinii sunt) *ab* C. [4] *Atinio Labeone, cui cognomen Macerioni fuit Trib. Pleb. quem è senatu Censor ejecerat, revertens è campo meridiano tempore, vacuo foro & Capitolio ad Tarpejum raptus ut præcipitaretur; vix tandem intercedente Atinii Collega, à limine mortis revocatus est.* Tribuni certè saxum illud maximè elegisse visi sunt, in quo carnificinam suam agerent; quemadmodùm Plutarchus [5] alibi alium scribit locum electum, in quo Cæss.

1 Idem lib. 59. * 2 Al. *dignationis suæ.*
3 Lib. 7. cap. 44. 4 Al. *Attilio.*
5 In Galba.
* In Dione istic nihil aliud legitur, nisi οἱ δὲ καὶ ἀπὸ τοῦ Καπιτωλίου κατακρημνιζόμενοι, pag. 654.

Cæss. sontes suos punirent, SESTERTIUM [1] appellatum. quem extra Urbem fuisse v. c. Lipsius [2] putat semitertio ab Urbe milliari, atque inde corruptè nominis ἔτυμον deductum. Eum in locum Galbæ Cæsaris à Patrobianis & Vitellianis servis caput dejectum: ibique de Laterano generosissimo Consule supplicium sumtum, idem Lipsius suspicatur ad Annales Cornelianos, quem vide. Quamquam non illhîc modò sub Principibus, sed in aggere etiam Tarquinii supplicia de reis sumpta. Juvenalis:

Plebejum in Circo positum est, & in aggere fatum.

Unde illius iterùm monstri (Cajum Cæsarem dico) crudelitas innotuit, qui miserum quemdam, quod [3] periturum se pro salute sua devoverat, *pueris tradidit verbenatum, infulatumque, qui votum exposcentes per vicos agerent, quoad præcipitaretur ex aggere.* Nec misericordior multò Antoninus Commodus Imp. de quo Lampridius prodidit: *Si quis se mori velle prædixisset, hunc vel invitum præcipitari jussisse.* ubi locum quidem supplicii non exprimit, credere tamen licet vel

1 Turneb. Notis in Festum.
2 In 15. Ann. Tac. 3 Suet. Cajo cap. 27.

vel in Tarquiniano aggere, vel in Capitolii saxo supplicium hoc de misellis sumtum. quamquam & de robore etiam Tulliano meritò quis possit suspicari, de quo lumen illud Italiæ Carolus Sigonius lib. IV. de Judiciis Romanorum cap. XVI. Lipsius etiam adcuratè ad IV. Annalem Taciti, Baronius Cardinalis in Notis ad Martyrologium; & nos ipsi contra Cardinalem cap. XLV. hujus Commentarii. Proditoribus etiam puniendis saxum Tarpejum destinatum ostendit tacitè auctor [1] Rhetoricorum ad Herennium (quem non alium à Cicerone esse cum CL. Dionysio Gothofredo omninò existimo) sic enim habet in fragmento Invectivæ: *Vester enim vos animus amantissimus R. P. facile edocet, ut eum qui fortunas omnium voluerit prodere, præcipitem deturbetis ex ea civitate, quam ipse spurcissimorum hostium dominatu nefario voluerit obruere.* & apertiùs Seneca lib. I. de Ira: [2] *Et cùm cervicem noxio præcidi imperabo, & cum Parricidam insuam culleo, & cum mittam in supplicium militare, & cum Tarpejo proditorem hostemvè publicum imponam, sine ira, eo vultu animoque ero, quo serpentes & animalia venenata percutio.* facti au-

1 Lib. 4. 2 Cap. 16.

autem hujus notiſſimum exemplum eſt in ſervo [1] P. SulpicI Trib. Pleb. quem, cùm Sullana proſcriptione Dominum in villa latitantem Magiſtratibus indicaſſet, *quòd Hoſtem indicaverat, manumitti: quòd verò Dominum prodiderat, de ſaxo Tarpejo dejici Coſſ. decreverunt.* Eadem ratione Transfugas punitos aliquando legimus. Livius lib. XXIV. *Recepti perfugæ* (Samnites) CCCLXX. *quos cum Romam miſiſſet Coſ.* (Q. Fabius Maximus) *virgis in Comitio cæſi, ac de Saxo dejecti.* Et Obſides fugitivos. Idem libro ſequenti: *Obſides Tarentini à Philea Tarentino, primis tenebris, ædituis corruptis, cuſtodia educti à Tarracina comprehenſi, deducti in comitio, virgiſque approbante populo cæſi, de Saxo dejiciuntur.* De Inceſtuoſis eadem lex fuiſſe videtur. Tacitus enim in VI. Annal. *Sext.* ait *Marium Hiſpaniarum ditiſſimum*, cùm delatus eſſet inceſtâſſe filiam, de ſaxo Tarpejo dejectum. Eoque facere videtur nobilis illa apud Senecam controverſia [2] ſub Themate: *Inceſta de ſaxo.* in qua virgo Veſtalis inceſti damnata, & de Saxo præcipitata evaſiſſe fingitur, miriſque diſertiſſimorum Rhetorum co-

1 Oroſ. lib. 5. cap. 18. & Plut. Sulla.
2 Lib. 2. cont. 7.

coloribus exagitatur. Quin & omnibus sontibus communis videtur fuisse præcipitatio. nam & vigilem, malè officio suo functum, Gallica Capitolii obsidione [1] Trib. Mil. Sulpicius, & cives quosdam in funere Cæsaris insolentiùs se gerentes Coss. deturbarunt: & Magus quidam, aut Mathematicus, L. Pituanius ex S. C.to sic punitus, aliique in Historia Romana facinorosi complures: quos liberi nimiùm otii sit singillatim omnes velle percensere. Videtur inde in usu Romæ permansisse ut homines nequam aut flagitiosi *Deturbati Saxo* vocarentur. apparet ex fragmento Nævii apud Festum, in *Quisquiliæ*:

Abi deturbate Saxo; homo non quisquiliæ.

Sic & *Barathrones* dictos putat [2] Josephus Scaliger, quasi dignos qui in barathrum conjicerentur ex consuetudine Atheniensium: ut Lacones in καίδα, extra portas, maleficos suos conjiciebant. Fœdam autem atque horribilem supplicii hujus consuetudinem frequentari desiisse existimat [3] V. C. Petrus Faber post latas LL. Porciam atque Valeriam: atque

1 Liv. lib. 5. Dio. lib. 44. 2 In Varr. de L. L.
3 1. Semest. cap. 18.

atque ita paullatim obſoleviſſe. Facit eò Reſponſum Modeſtini J. C. in L. *Si diutino* §. ult. DD. *de pœnis*, *non poſſe* videlicet *aliquem ita damnari ut de Saxo præcipitetur.* quanquam locus ille à nobis è Lampridio laudatus de Sævitia Antonini, ſatis oſtendit ſub crudelioribus Principibus adhuc ſubinde fuiſſe revocatam.

CAPUT V.

Montis Capitolini diviſio in Arcem, Capitolium, Saxum. *Quid* Arx: *quid* Capitolium. *Variæ τῦ* Capitolii *acceptiones*. Salvâ Urbe atque Arce eſſe. Turres Capitolinæ. *de loco Taciti anquiſitum.*

Mirati ſunt hactenus multi τῶν ῥωμαϊκῶν ἀγνῶσται καὶ ἀνήκοοι, quid ita ferè Livius quotiens Capitolii mentio incidit, *Arcem & Capitolium* diſtinctim nominet: cum inter utrumque (quod ipſi exiſtimant) nihil omninò intereſſet. ut in vehementi illa F. Camilli ad populum Vejos meditantem oratione: [1] *Cùm victo-*

1 Lib. 5.

victoribus Gallis, capta tota urbe, Capitolium tamen atque Arcem Dique & homines Romani tenuerint, victoribus Romanis, recuperata urbe Arx quoque & Capitolium deseretur? In ea quoque, quam apud eundem Pop. Valerius Poplicola habuit, cùm in suspectionem venisset, quòd in summa Velia ædificaret: [1] *Ego si in ipsa Arce, Capitolioque habitarem, metui me crederem posse à civibus meis?* & sæpè idem alibi. M. etiam Cicero Catilinaria quarta ad Senatum: *Vobis vitam omnium civium, vobis Arcem & Capitolium, vobis Aras Penatium, &c. Patria commendat.* & Annæus Seneca libro, quòd in sapientem non cadit injuria: *Non Babylonis illi muros contuleris, quos Alexander intravit; non Carthaginis aut Numantiæ mœnia, unâ manu capta; non Capitolium Arcemve.* Locus item ille apud Tacitum, [2] desperatus à Lipsio, aliquid hujus antiquitatis habet, si ita emendetur: *Quid si memoria eorum innovaretur* [3] *qui in Capitolio & Arce Romana à majoribus eorundem prostrati?* Qui locus vulgò corruptissimè sic editur: *Recentia hæc. quid si memoria eorum inoriretur* [4] *qui in Capitolio & Ara Romana ma-*

1 Lib. 2. 2 Ex Ann. 11.
3 Vel, *innovetur*. 4 V. c. memoretur.

manibus eorundem [1] *prostratis?* Emendationis autem caussam hanc reddo. A. Vitellio L. Vipsanio Coss. cùm de supplendo Senatu agitaretur, primoresque Galliæ Comatæ jus adipiscendorum in urbe honorum expeterent, multus & varius super ea re P. R. sermo, & studia diversa apud Principem, [2] animum ejus variè impellentium erant. Unus autem fortè Senatorum (cui Gallicum genus exosum maximè fuisse hinc licet opinari) magnam toti genti invidiam concitavit, quòd Galli olim Senones hostili rabie urbem exscidissent, & Capitolium tantum non invasissent: multos etiam in oppugnatione Capitolii atque Arcis, qui ex urbe eò confugerant, diutino obsidio trucidassent. Qua ratione nihil efficaciùs potuit inveniri, ut à Curia & Prætexta Romana Proceres omnes Gallicos, quasi antiquissimos Romani nominis hostes, averteret. Eò enim spectant illa superiora: *Oppleturos omnia divites illos, quorum avi proavique hostilium nationum duces, exercitus nostros ferro vique ceciderint.* Quibus tamen omnibus haud permotus Claudius & Transalpinam gentem eleganti [3] oratione defendit, & ple-

1 V. c. per se satis. 2 Claudium.

3 Cujus fragmenta exstant in ænea Tabula Lugduni.

plenum jus Romanæ civitatis illi aſſignavit. Rectene autem an ſecus, difficillimum Cornelii locum extricarim, ii judicent judices, qui in Critico hoc Tribunali, ex Poëtæ dicto, φέρτεροι εἰσι νοῆσαί τε κρῖναί τε; viri ſcilicet Rei Litterariæ conſtituendæ perfecti. mihi conatum ſaltem aliquem attuliſſe ſufficiet, ſi effectam rem ipſam præſtare nequivero. Nunc ad inſtitutum revertor. Primus (quod ſciam) Pyrrhus Lygorius Neapolitanus, exactæ in illuſtranda antiquitate diligentiæ, elegantiſſimo Paradoxωn libello diſcrimen * inter Arcem & Capitolium adnotavit. *Arcem* enim veteres propriè appellitabant munitiorem illam magiſque excelſam montis noſtri partem, quà Theatrum Marcelli, flumen Tiberinum & Dianam Aventinam in Meridiem converſus reſpiciebat. in qua, utpote ſummo P. R. Propugnaculo, Turres murique pinnati, & Templum ipſum Auguſtiſſimum IOVIS. OPT. MAX. Turrium iſtarum meminit M. Tullius orat. III. in L. Catilinam, cùm ait: *Nam profectò memoria tenetis Cotta & Torquato Coſſ. complureis in Capitolio turreis de cœlo eſſe percuſſas.* & Cornel. Ta-

* Alex. Donatus has diverſitates Juſti Rycquii legit, eumque appellat in principio libri ſecundi de urbe Roma.

Tacitus in III. Historiarum MUNITISSIMAM CAPITOLII ARCEM vocat, ET, NE MAGNIS QUIDEM EXERCITIBUS EXPUGNABILEM. Templum vero in ipsa Arce Capitolina fuisse testatur 1 Herodianus, cujus verba ex politissima Politiani versione proponam: *Convenerunt igitur* (de Senatu loquitur) *non quidem in Curiam, quò anteà consueverunt; sed in Templum* CAPITOLINI IOVIS, *quod in Arce summa præcipuæ venerationis Romani habent.* unde & Ovidius in Fastis:

2 JUPITER *Arce sua totum cum spectet in orbem*
Nil nisi Romanum quod tueatur habet.

Solebat enim & Templum ipsum *Arx* vocari. sic etiam Livius de Victoria aurea Hieronis: 3 *Cui senatus ominis gratia acceptæ sedem Divæ dedit, dicavit Capitolium Templum I. O. M. in ea Arce urbis Romæ sacratam, volentem propitiamque, firmam ac stabilem P. R. fore sperans.* *Capitolium* verò ea pars montis maximè appellabatur, quæ in Aquilonem directa planior spatiosiorque erat, & Quirinalem versus extra ipsa Arcis mœnia protendebatur. Quadruplicem autem vocis hujus no-

1 Lib. 7. 2 Lib. 1. 3 Lib. 22.

notionem reperio apud priſcos, quam ſicuti ἐκ παρέργου (quando ejus rei mentio incidit) cum ſtudioſis antiquitatis lubet communicare. Prima illa quidem & ſæpè uſurpata pro toto monte, ut in Silliano Poëmate, de Annibale ſomniante: [1]

Jamque aut nocturno penetrat Capitolia viſu, &c.

Et Prudentiano, de militibus Maxentii: [2]

Romanumque forum & Capitolia celſa tenebant.

quanquam ibi fortè pro Arce ſive Templo uſurpatum. clariùs in loco Taciti ſuprà memorato: [3] *Capitolium non à Romulo, ſed à T. Tatio additum Urbi credidêre.* & iſto Servii in II. Æneidos: *in Capitolio omnium Deorum ſimulacra colebantur.* Sæpè pro dimidia ejus parte, quam ſic appellari ſolitam docuimus. ut in iſto M. Varronis, è γεροντοδιδασκάλῳ: *M'. Curius Coſ. in Capitolio cum delectum haberet, nec citatus in Tribu civis reſpondiſſet, vendidit tenebrionem.* & iſto Livii lib. XXXIX. *M. Fundanius & L. Valerius ad Plebem tulerant. ad ſuadendum diſſuadendumque multi nobiles prodibant. Capitolium turba hominum*

C *fa-*

1 Lib. 1. 2 Lib. 2. adv. Symm.
3 Ann. 12.

faventium adversantiumque legi complebatur. & sæpè idem alibi.

Sæpissimè ipsum Jovis Templum *Capitolium* vocatum. ut apud eundem Livium lib. XXXVII. *P. Cornelius Scipio Africanus priusquam proficisceretur fornicem in Capitolio, adversus viam, qua in* CAPITOLIUM *ascenditur, posuit.* Ubi tamen duplice notione eandem vocem Livius videtur usus. pro parte altera montis scilicet, in qua fornix sive Arcus Africani exstructus; & Templo Jovis, quod supra eum locum in ipsa Arce. Idem lib. XXXIII. *M. Servilius, Tib. Claudius Senatu in Capitolium vocato de Provinciis retulerunt.* 1 Sic Josephus Antiquitatum Judaicarum lib. XIX. de stultitia CaI: Εἴς τε τοῦ Διὸς φοιλῶν τὸ ἱερὸν, ὃ Καπετώλιον μὲν καλοῦσι, τιμιώτατον δ' ἄρ' αὐτοῖς ἐστὶν ἱερῶν, ἀδελφὸν ἐτόλμησε προσαγορεύειν τὸν Δία. Sic alibi millies cùm Livius, tum reliqui scriptores celeberrimum Templum appellant, & legitimo maximè nomine, *à capite humano* (ut fama est) *in fundamentis ejus, dum effoderetur, reperto.* quâ de re paullò infrà 2 veterum opiniones, accuratè à nobis collectas, commodiùs proponemus. Horatius autem

συλ-

1 Cap. 1. 2. Cap. 10.

συλληπτικῶς Jovem ipſum pro Templo ſuo poſuit lib. II. Odarum, cùm ait:

Incolumi JOVE *& Urbe* ROMA.

Quod Romani in proverbio dicere ſoliti, *Salva Urbe atque Arce eſſe.* Cæcilius apud Agellium 1 illud exprimit facundè;

Ex hoſte captus liberè ſervio ſalva Urbe atque Arce.

Quæ formula etiam in verbis conceptis Fœtialium apud Livium 2 reperitur. Nec audiendi qui aliter explicant apud Horatium, ne frugibus inventis malint adhuc (quod dicitur) *βαλανηφαγεῖν.* Horatium videtur imitatus Sillius lib. XVI.

—— *vacuumque Jovem ſine pube ſine armis.*

Invadet.

id eſt Capitolium milite & armatura deſtitutum. Quarta & figurata item notio eſt, ubi pro Diis ipſis Capitolium ponitur, à noſtris maximè ſcriptoribus obſervata. Ita D. Auguſtinus lib. II. de Civitate: 3 *Itane pluris tibi habenda viſa eſt exiſtimatio Curiæ veſtræ, quam Capitolii; & Romæ unius, quam cœli totius?* & D. Cyprianus Epiſt. LV. *Quid ſu-*

C 2 *pereſt*

1 Lib. 2. cap. 23. 2 Lib. 48. *
3 Cap. 12. * Ubi vidit illum librum?

perest quàm ut Ecclesia Capitolio cedat? Prudentius etiam Apotheôsi, Titulo in Judæos:

Ipsa suis Christum Capitolia Romula mærent
Principibus lucere Deum.

Quinctam & supernumerariam possemus adjicere, quam ex D. Hieronymo P. Pithœus [1] observavit, pro cujusque civitatis Arce vel ἀκροπόλ. sic enim ille interpretatione in Esaiam, de Babylone. *Arx autem, id est, Capitolium illius urbis & turris ædificata post diluvium.* ut de Templis Principibus nihil dicamus, quæ sicut Christiani hodie κυριακὰς aut *Dominica* appellamus, itâ *Capitolia* in Municipiis & Coloniis per Romanum orbem vetustas dixit. Probant illa quæ ex Cypriano & Augustino jam laudavimus. & Arnobius, *Varro* (ut Lipsius eum rectè nominat) *nominis Christiani*, his verbis: [2] *Nonne vides in Capitoliis omnibus virginaleis esse species Minervarum?* sed de Capitoliis, quæ extrà Romam, commodior erit alibi dicendi locus.

1 In Adv. Subsec.
2 Lib. 4. adv. Gentes.

CA-

CAPUT VI.

Arces *unde sic dictæ: earumque Sanctitas apud priscos. qui* Tutulati. *quid* Tutulus. *Templa* Deorum Tutelarium *potissimum in Arce.* Arx Jovis. *Jani Guilielmi in Cicerone emendatio confirmata. Cæs. Scaligeri in Papinio rejecta.* Sanctæ Leges, Sancti Muri, *ac* Portæ *Urbium.*

Antequàm Templi illius descriptionem aggrediar, [1] *quo se in æternum venerabilis Roma attollit*, operæ pretium erit unde Arces nominatæ sint, & cujus Religionis olim fuerint velut ἐν παρόδῳ delibare. De earum ἐτυμολογίᾳ non una eademque sententia est. M. Varro, omnis antiquitatis peritissimus, [2] *ab Arcendo Arcis* originationem duxit, *quòd is locus munitißimus urbis, à quo facillimè poßit hostis prohiberi. Arcere* autem ex Festi interpretatione [3] *Prohibere* est; qui

1 Amm. Marcellin. 2 4. De L. L.
3 In. *Arcani.*

qui & ipſe M. Varroni concinere videtur. Alii (è quorum numero Solinus [1] eſt) ab iis Arcadibus, qui ῥώμην aut Valentiam habitarint, ductum putat ‡ *ut tutiſsima urbium Arces vocarentur.* Doctiſſimus autem Camerarius [2] à Græca voce τῆς ἄκρας fortè expreſſam: eoque ſenſu prolatum illud Virgilii:

— *celſa ſedet Æolus Arce.*

quaſi diceret Poëta: προκάθηται ὁ αἴολος τῷ τῆς ἄκρας ὕψει, ἤ, ὑψηλῷ ἐν τῇ ἄκρᾳ φρόνῳ. * mihi tamen Varroniana ſententia magis arrideat, quam Feſto & Iſidoro probatam quoque video. ſic enim ille xv. Etymologici: *Arces ſunt partes urbis excelſæ atque munitæ. nam quæcunque altiſsima urbium ſunt, ab arcendo hoſtes, Arces vocantur.* Tacitè etiam Aſconio in Divinationem, ubi *Arcem* eſſe dicit *vel Tyranni ſedem, vel æditum in civitate & munitiorem ad civium ſalutem locum.* Innuit hanc quoque Arcis definitionem Auſonius, in Monoſyllabis:

Urbibus in cunctis munitior urbibus eſt Arx.

Ideò

1 Lib. 1. cap. 1.
2 In Dec. Problem.
‡ Voluit *putant.*
* Voluit θρόνῳ.

Ideò sollicitus apud Virgilium Æneas, urbe capta, trepidè sic interrogat:

Quo res summa loco, Panthu, quam prendimus Arcem?

Igitur repetit opinionem suam M. Varro lib. VI. de L. L. exponens versiculum EnnI,

Libaque, fictores, Argéos, & tutulatos.

Tutulati (inquit) *dicti sunt ii qui sacris in capitibus habere solent ut metam, id Tutulus appellatur, ab eo quod matres familias crines convolutos ad verticem capitis, quos habent uti velatos, dicunt Tutulos: sive ab eo quòd tuendi caussa capilli fiebant: sive ab eo quod altissimum in urbe est, quod est Arx, ea res tutissima Tutulus vocatur.* meritò ergò sanctimoniam quandam Arces habere creditæ, quòd in iis omnium civium salus esset reposita, DIque Urbium custodes ibi potissimùm colerentur. Cicero ipse *Arcem* cum *Ara* & *Portu* conjungit in Verrinis, ut tutelam ejus simul & religionem significet. idemque pro Cornelio Balbo cùm de Gaditanis loquitur, *veterem speciem fœderis Marciani omni sanctiorem Arce* dixit. ita enim legere ibi malim cum eruditissimo Jano Guilielmio, è libro Turingiano, sensu oppidò eleganti & venusto; quàm vulgatum illud *Marte*, aut (quod ex

conjectura Lambinus intrusit) *Ara.* Virgilius simile adjunctum tribuit etiam Arci Trojanæ :

Et monstrum infelix sacrata ponimus Arce.

Sacrum enim & *Sanctum* idem quandoque esse Aurelius Saturnaliorum 1 Scriptor eruditè ostendit è Pontificio veterum Jure. Bene autem *sacratam* vocat Poëta, in qua sacratissimum urbis pignus Palladium contineretur, quod fataliter abs Æneâ in Italiam translatum, Albæque depositum, Romulus (ut quidam 2 volunt) in Capitolium transtulit; alii 3 Tullium Hostilium malunt capta ea civitate Romam transtulisse, & in æde Vestæ recondi jussisse. Plura istiusmodi Palladia nominat Dionysius 4 ex Callistrati, Satyri, & Aratini commentariis. nominant & diversis in locis posita etiam alii, sed quæ Philologorum nostrorum diligentiæ jam vidimus præoccupata. Quemadmodum autem in Ilio, Arce Trojana, in Atheniensi ἀκροπόλει atque alibi, Pallas culta : in Carthaginiensi & Vejentana, Juno, in Cumana, Apollo, in Ery-

1 Macrob. lib. 3. cap. 3.
2 Suidas in καπιτώλιον.
3 Arnob. lib. 4. Clem. Protrept. *
4 Lib. I. Antiq.
* *Cur tamen non scripsit* Tullum?

Erycina, Venus; ſic in Romana noſtra (quod antè diximus) Juppiter Opt. Max. inde ARX JOVIS etiam nominata Ovid. lib. VI. Faſtorum:

Inque JOVIS SUMMI *cæditur* ARCE *bidens.*

idem conſolatione ad Liviam:

Et tumulus Druſum pro JOVIS ARCE *manet.*

Manilius IV. Aſtronomicωn:

Includive ſua potuiſſet JUPPITER *Arce*
Captus, vel caput hîc Orbis foret.

Mamertinus in Panegyrico Diocletiano & Maximiano Augg. dicto: *O quantò nunc Impp. dies illa auguſtior, quantò magis hunc natalem ſuum diem* (Roma) *coleret, ſi vos ſtipatos veſtro ſenatu, in illa Capitolini Jovis Arce, conſpiceret!* Ex iſtis igitur auctoritatibus adparet quàm non rectè atque ordine fecerit JULIUS CAES. SCALIGER, cùm in VIII. Thebaidos Statianæ elegantiſſimos hos verſus refingendos putavit:

At poſtquàm rabies, ut vitæ prodiga virtus
Emiſere animos; non tanta cadentibus Hœdis
Aëriam Rhodopen ſolida nive verberat Arctos.

Nec fragor Ausoniæ tantus, cùm Juppiter omni
Arce tonat.

Quare (inquit) *Ausoniæ fragorem posuit potiùs, quàm alîus loci, nescio. sanè oportuit loci nomen certum apponere, unde tonitrua ingruerent. itaque sic mallem:*

——— *cum Vesulus alta*
Arce tonat.

Non succurrit enim viro doctissimo certissimum loci nomen adpositum. *Arcem* scilicet *Romanam Capitolinam*, è qua Juppiter fulminare maximè creditus. Manifestè innuit Epigramma Græcum in Anthologia:

Εἶξον ἀρειοτέροισι χάρις Καπετωλίδος αὐλῆς,
Εἰ καὶ * χαλκείων ὀρόφων ἀμαρύγματα πέμπεις.

quod Lipsius convertit:

Cede etiam melioribus ô Tarpeïa rupes,
Etsi ex æratis jacis aurea fulmina tectis.

Et Manilius loco jam citato:

Roma

Sic melius citavit Lipsius in Magnit. Rom. lib. 3. cap. 5, quam noster vel hîc vel in cap. XVI, (ubi Lipsii & hujus loci meminit) utrobique per errorem edens εἰ δ: ut dubitandum non fuerit, quin corrigeretur, sive voluit δὴ scribere.

Roma casis enata foret pecudumque magistri
In Capitolinos vexissent fulmina monteis.

Propertius item lib. IV.

Tarpejusque pater nudâ de rupe tonabat.

quod & abunde testatum vult Iovem istum, 1 Sillius cùm ad Collinam Portam Annibal accessisset. Claudianus in Elogio urbis Romæ illò etiam respexit:

——— ——— *hinc fulmina vibrat*
Juppiter, hanc totâ Tritonia Gorgone velat.

Ita defendendum ab intempestiva viri magni correctione Statium suum putabat amœnissimi juvenis ingenii Casperius Gevartius, qui Lovanii paullò ante Batavicam suam profectionem hoc ferè mecum communicabat. Religioni quidem Arcium hoc adjungi poterat, ita *Sanctas* vocari solitas, ut Muri & Portæ civitatium, quas ideò tales esse I. Cti. opinati sunt, *quòd ab injuriâ hominum defensæ atque munitæ essent*, 2 capitis enim pœna constituta erat iis, qui violassent. In-

1 Lib. 12. 2 L. Sanctum 8. & l. 9. & l. siquis ff. de rer. divis. & Serv. in 12. Æneid.

de & *Sanctæ Leges*, quòd pœnarum ſanctione confirmatæ relligioſiùs ad præcepta exſequenda mortales impellerent. Sed ego nunc in alienam ſegetem Philologicam hanc falcem non pono.

CAPUT VII.

Montis Capitolini ſitus, figura, dimenſio, altitudo, quæ Ædificia tam in Arce *quàm* Capitolio *olim fuerint. Regiæ quæ ſint in Statio & Suetonio. Statius, cum Notitiâ Imperii, & Ammianus fortè etiam emendati.* Capitolium *altiſſimus urbis locus. Sillius & Calpurnius Eclogarius explicati.*

Mons igitur totus trifariam à nobis diviſus, in *Arcem*, Capitolium & Saxum (quantum præſentes ipſi Romæ obſervavimus, & recentiores quidam curioſè adnotarunt) geminum efficit Hemicyclum, ovalique figura (niſi quòd latera paullò contractiora

ra sint) totus concluditur. Cujus figuræ nobilitas eò magis commendanda nobis est, quòd antiquissimi rerum Naturalium observatores 1 Mundum ipsum ὅμοιον τῷ ϛ̓ ὤϋ σχήματι esse docuerint. ut Mundi quasi quædam imago Capitolium esset, quod armorum & Imperii jure Mundi Romani caput, qua Religionum publicarum cæremonia, qua Legum Triumphorumque Sanctimonia gentibus in Orbe cunctis horrori fuit atque venerationi. Ad Orientem Solem Palatii partem habuit, viamque sacram, 2 à Streniæ sacello directò ad arcem euntem, & Amphitheatrum Flavium. Ad Occidentem, Urbis planitiam, sive regiones Circi Flaminii & Campi Martii. Meridiem (uti diximus) Aventinus occupabat, & Tiberinum flumen. Septentrionem, collis Quirinalis. 3 Ipsum ab D. Augusto, cùm universa Urbs in XIV. Regiones divideretur, VIII. Regione comprehensum est. unde notitia utriusque Imperii (quæ Urbis quoque τοπογραφίαν quandam continet) cùm de VIII. Regione loquitur: *Continet* (inquit) *umbilicum Romæ, Templum Saturni & Vespasiani, Capitolium, Milliarium aureum Juliæ.*

C 7 Sed

1 Plutarch. in Sympos. & lib. 2. de plac. Phil. Macrob. 7. Sat. cap. 17. 2 Varro 5. de L. L.
3 Suet. Aug. cap. 30.

Sed quod illud tandem *Milliarium aureum Juliæ?* [1] Distingue, & emenda: *Milliarium aureum, Basilicam Juliam.* quæ & ipsa in vicino loco ad Lacum Servilium; cùm Milliarium ab eodem Augusto in capite Fori Romani [2] statutum esset. Meminit ejus Basilicæ Statius, Equo Maximo Domitiani:

At laterum passus hinc JULIA TEMPLA *tuentur,*
Illhinc Belligeri sublimis Regia Paulli.

ubi ex V. C. Lipsiano emendatiùs legeremus, *Tecta.* ut Basilicam Juliam [3] intelligamus, ad latus ejus equi collocatam. Non enim de Templo D. Julii commodè interpretari possis. quò spectant illa, quæ præcedunt:

—— *Hinc obvia limina pandit,*
Qui fessus bellis, adsertæ munere prolis
Primus iter nostris ostendit in æthera DIVIS.

[4] Basilica autem Æmilia ex-adversum foro posita erat ad viam sacram, illustribus etiamnum parietinis visenda: quæ non ineleganter *Regia* à Poëtâ dicta est, cùm Græca dictio *Basilica* commodè in hexametrum versum non

1 Festus in *Servilius.*
2 Plut. Galba. Suet. Othone c. 6. Tac. 1. Histor.
3 P. Victor. Lapis Ancyran. Sueton. alii.
4 P. Victor.

non caderet. Sic tamen Regii operis moles, etiamsi Basilicæ non essent, olim videntur appellationem habuisse. Suetonius ostendit C. xxxi. Aug. de Theatro Pompejano: *Pompeji quoque statuam contra Theatri ejus Regiam marmoreo Jano superposuit, translatam è Curiâ in quâ C. Cæsar fuerat occisus.* nam quod Beroaldus [1] de Basilicâ aliquâ intelligendum hoc putat, vereor ut imponat magis, quàm doceat: cùm de Basilicâ Pompejâ nihil usquam meminerim legere. [2] Hinc emendandus fortè nobilis ille locus Ammiani de Constantii in Urbem ingressione: *Lavacra in modum Provinciarum exstructa. Amphitheatri molem solidatam lapidis Tiburtini compage. Pantheon velut Regionem teretem spatiosâ celsitudine fabricatam.* quæ enim insolens illa ὑπερβολὴ Templum etsi aliàs laxum & spatiosum, Regioni comparare? Quid si igitur, *Pantheon velut Regiam teretem?* facit tamen ut timidè pronunciem comperta mihi aliàs ejusdem Scriptoris, in hujusmodi efferendis, μεγαληγορίαν. quale est etiam illud quod paullò antè dixit, *Lavacra in modum Provinciarum exstructa.* & quod subjungit de Foro Tra-

1 Notis in hunc locum.
2 Lib. 16.

Trajani: *Singularem sub omni cœlo structuram, etiam Numinum adsensione mirabilem, nec relatu effabilem, nec rursus mortalibus appetendam.* atque alia alibi non minus ventosa. Sed jam quod agimus, agamus. Hodiernum Montis Capitolini ambitum qui dimensi sunt, [1] VII. fermè complecti adserunt stadia. Latitudinem, quà amplissima est, DCCC. Romanos pedes non excedere. Longitudinem ejus, quà in occasum æstivum protenditur, CIↃ. & QC. facilè capere, non superare. *Tribus ferè stadiis*, ait Dionysius, *à Palatino dispescitur: nè integro quidem à ripâ Tiberinâ.* Ejus in arce altitudinem supra omnia urbis ædificia apparet maximè exsurgere, inde & loco nomen factum. Benè itaque Augustinus [2], qui *Capitolium amplißimum & celsißimum locum* appellat. [3] Benè etiam Servius ad Virgilianum illud:

In summo custos Tarpejæ Manlius Arcis.

sic adnotavit: *Bonâ ratione, ut in picturâ, apta unicuique rei loca* (Poëta) *distribuit. ideò enim in summâ parte Clypei dicit esse factum Capitolium, quia hoc summo Urbis loco esse-*

1 Marlianus & alii: quamvis hodiè ab antiquo multum credam minuisse. lib. 10. antiq.

2 4. de Civ. cap. 23. 3 Lib. 8. Æn.

esse manifestum est. hoc etiam innuit doctissimus Tertullianus, initio Apologetici: *Si non licet vobis, Romani Imperii Antistites, in* APERTO ET AEDITO IPSO VERTICE CIVITATIS *præsidentibus ad judicandum*, &c. nam per *verticem civitatis* Capitolium intelligi, quò Senatus de rebus maximis gravissimisque conveniebat, Interpretum omnium consensus est. propterea à Poëtis *Capitolia celsa, sublimia, alta, cœlo juncta*, & ab eodem Tertulliano alibi, *cœlo certantia* vocantur, non minus à naturali loci altitudine, quàm ab artificiosâ Ædium Templorumque structurâ. Unde Silius Italicus cum Annibalem ab Urbe satis jam remotum describere conatur, sic etiam ait:

Segne iter emenso, vixdum Tarpeja videri
Culmina desierant.

nimirùm quia is altissimus Urbis locus, & à Pœnis abeuntibus ultimùm conspectus. Hinc etiam apparet quantæ altitudinis sublicia illa Theatra fuerint, à Diocletiano (ni fallor) Ludis suis populo exhibita, quæ T. Calpurnius *in cœlum surrexisse* scribit, [1]

—— *Tarpejum propè despectantia culmen.*

Sed

1. Eclog. 4.

Sed quid Antiquiorum nimis anxiè auctoritatem sequimur, cùm hodiernum oculis omnium summæ celsitudinis pateat argumentum, c. scilicet & XXXIX. gradus, quîs ad Ædem VIRGINIS in Tarpejo, olim Feretri Jovis (ut opinio est eruditorum) exscenditur? Quòd si nostris temporibus ea etiam altitudo est, cùm (ut suprà diximus) crebræ Urbis ruinæ omnem ejus planitiem collibus propemodùm æquaverint, quid olim fuisse credendum est, cùm pleno cacumine Mons Capitolinus nubila pulsaret? cùm altissimo monti altissima & sumtuosissima ædificia essent imposita? quæ certè adeò crebra, adeoque magnifica heic olim fuerant, ut fidem propemodùm humanam excedant. Nunc tamen omnia æternum (ô dolor!) ruinis suis sepulta, aut ab ipsis fundamentis excisa, nomen pœnè ipsum cum loco amiserunt. Adeò verum est illud [1] gravissimi Poëtæ:

Πάνθ' ὁ μέγας χρόνος μαραίνει τε καὶ φλέγει.

Et ingeniosissimi Latinorum in Divino [2] opere:

Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas

Omnia

1 Sopoclis. 2 15. Metamorph.

Omnia destruitis : vitiataque dentibus ævi
Paullatim lentâ consumitis omnia morte.

Quorum tamen Ædificiorum memoria Mortem & Fatum hactenus superavit, eam nonnullâ diligentiâ à nobis conquisitam, AETERNAE. URBIS. HONORI. ET. POPULI. ROMANI. MAJESTATI. LUBENS. MERITOQUE. RESTITUAM. In Arce quidem hæc fuisse memorantur:

Templum JOVIS OPTIMI MAXIMI, *cum cællis*
JUNONIS *&* MINERVAE: *Sacello* SUMMANI: &
Ædiculis TERMINI *&* JUVENTATIS.
Ædes JUNONIS MONETAE, *cum officinâ Monetariâ.*
Ædes FIDEI CANDIDAE.
Templum CONCORDIAE.
JOVIS *fortè* CUSTODIS.
Auguraculum P. R.
Bibliotheca.
Tabularium.
Aræ aliquæ.
Templum VAEJOVIS, *inter Arcem & Capitolium.*
Ibidem Asylum, & duo Luci Quernei.

In Capitolio hæc:

Templum JOVIS FERETRI.

JUNONIS REGINAE.

MARTIS ULTORIS. *seu*, BIS-ULTORIS.

NEMESIS *fortassè*.

Ædes duæ aliæ JOVIS.

JOVIS FIDEI-SPONSORIS.

VENERIS ERUCINAE.

VENERIS CALVAE II. *Vetus & Novum*.

FORTUNAE PRIMIGENIAE.

FORTUNAE OBSEQUENTIS.

DIANAE *fortè*

OPIS.

MENTIS.

ISIDIS & SARAPIDIS.

Templum CARMENTAE, *in clivo*.

JOVIS TONANTIS, *in clivo*.

CONCORDIAE, *in clivo*.

SATURNI *ad clivum, quod & Ærarium*.

Casa ROMULI.

Sacellum JOVIS, *cum altero fortè* HERCULIS.

Utrobique, præter Templa, Opera ista Publica:

Curia Kalabra.

Atrium Publicum.

Senatulum, fortè Aureum.

Por-

Porticus Scipionis Nasica, & aliorum.
Arcus Triumphales.
Porta Carmentalis, & Stercoraria.
Statua infinita.
Coloßi multi.
Columna Rostrata, & Honoraria.
Tituli Victoriarum.
Tropaa diversorum.
Solarium.
Carcer Mamertinus.

Quædam alia ſcio in Capitolio poni à quibusdam [1] ut *Templum alterum Vesta, Apollinis, Veneris, Salutis, Libertatis*, ſed cùm nullâ antiquioris teſtimonii auctoritate ſubnitantur, explodenda judicavi. Nunc à ſummo urbis & orbis templo JOVIS CAPITOLINI, dicendi initium ſumam.

1 Marliano, Fabricio, Pomp. Læto, Fl. Blondo, aliis.

Ca-

CAPUT VIII.

Vetus P. R. Relligio. Capitolium *hinc* duplex : Pompilianum, & Tarquinianum; Vetus *illud*, Novum *hoc appellatum. Quis* Vetus *apud Martialem*, Antiquus *apud Propertium* Juppiter ? *Vitruvius in re difficili certò emendatus. ServI, EusebI, Cedreni, aliorum error; & Plutarchi à Dionysio dissensus indicatus.*

Verum est quod à M. Tullio, de responsis Aruspicum, in laudem P. R. affertur: *eum, uti cæteris rebus fortassè parem, ita relligione cultuque* Deorum *cæteris omnibus gentibus longè exstitisse superiorem.* Vix enim è cunabulis caput suum URBS ADMIRANDA sustulerat, cùm ecce, Religionis & colendorum Deorum prima cura suscepta est. Immò inter ipsa nascentium murorum fundamenta de FERETRIO & STATORE JOVE cogitatum. Mox ad grandiora adjectus animus, & de sede JOVI OPT.

OPT. MAX. ſtatuendâ, etiam in ſummâ paupertate à Numâ Rege conſilium ſuſceptum. Fuit illud Numæ opus in altâ Semitâ, Regione urbis Sextâ, ut ex Notitiâ Imp. & P. Victore (qui urbis deſcriptionem ediderunt) didici. Varro [1] de L. L. ad Clivum publicum ponit. hoc eſt in eâdem Regione, & loco, ad Circum Floræ. *Capitolium Vetus* appellatum ferunt, ſed tunc opinor cùm Novum illud magnificentiùs eo nomine in Tarpejo jam eſſet exſtructum. ſimilitudine enim quadam ſic dictum putem, quod in eo ſicut in magno & nobiliore Capitolio Tres item Dei Præſides Romani Imperii colerentur. *Veterem Jovem* appellâſſe videtur Martialis (judicio LipsI) Epigrammate [2] in Maximum:

Eſquiliis domus eſt, domus eſt tibi colle Dianæ,
Et tua Patricius culmina Vicus habet.
Hinc viduæ Cybeles, illhinc Sacraria Veſtæ,
Inde NOVUM, VETEREM *proſpicis inde* JOVEM

quaſi utrumque Capitolium ab illo cerneretur, Vetus ſcilicet è domo Eſquilinâ, aut Vici Patricii (quæ haud longè ab Altâ Semitâ)

1 Lib. 4. 2 Lib. 7.

tâ) Novum, è Dianâ Aventinâ. Dubitat tamen Lipsius [1] an *Novum Jovem* Poëta Domitianum suum vocet, ejusque Palatium intelligat: quæ tamen interpretatio minus commoda videtur. Miror etiam subobscurum eum locum potiùs arripuisse Lipsium, quàm liquidum alterum ex eodem scriptore Epigrammate ad Paullum:

Sed Tiburtinæ sum proximus accola Pilæ,
Quà videt ANTIQUUM *rustica Flora* JOVEM.

Ubi sanè *Antiquus Juppiter* non alius est quàm ille in Capitolio veteri (uti diximus) ad Floræ circum, à quo haut longè Pila Tiburtina, & domus Poëtæ. Idem alibi de suâ habitatione:

Longum est si velit ad Pilam venire,
Et scalis habito tribus, sed altis.

In Propertianâ tamen elegeiâ cùm scribitur:

—— Tarpejæ turpe sepulcrum
Fabor, & ANTIQUI limina capta JOVIS.

Poëticæ libertatis est. fingit enim Poëta illud Templum in Tarpejo monte jam inde conditum fuisse, quod multis posteà annis Tarquinii Reges ædificarunt. Nam de Jove ibi aliquo

1 Admir. lib. 3.

aliquo anteà dedicato ὑδ' ὄναρ, ὑδ' ὕπαρ scriptores meminêre. Auctorem quidem Veteris Capitolii Numam esse præter Eusebii & Cassiodori Chronica, in queis *Capitolium aliquod struxisse à fundamentis* Numa scribitur; & Eutropium, qui *infinita Romæ Templa constituisse* eum notat; Vitruvius fortasse ostendit loco (nisi me fallit rerum mearum amor) satis feliciter à nobis constitutus lib. III. cap. II.

In acrostylis nec marmoreis nec lapideis epistiliis uti datur. sed imponendæ sunt trabes de materiâ perpetuæ, & ipsarum Ædium species Barycæ, Barycephalæ, humiles, latæ. ornantque signis fictilibus, Tuscanico more, uti est ad Circum Maximum Cereris, & Herculis, Pompejani item Capitolii.

Consentiunt litterarii illi Dictatores Lipsius & Scaliger auferendam interpunctionem, quæ voces *Herculis* & *Pompejani* interjacet, legendumque: *Herculis Pompejani, item Capitolii. Fortasse* (ait [1] Scaliger) *Hercules alibi in Urbe Pompejanus, sicut Juppiter Pompejanus apud Theatrum ejusdem nominis, in IX. Urbis Regione.* Subdubitat autem Lipsius, [2] an ad

D Co-

1 Notis ad Varronem.
2 3. Admirand.

Coloniæ Pompejanæ Capitolium: hæc spectent, cùm solemne esset in Coloniis & Municipiis, celebriora P. R. ædificia imitari. sed cùm alia Vitruvii exempla merè urbana sint, conjecturæ suæ parum fidit. Secuti illi quidem 1 Philandrum videntur qui hanc emendationem anteà invenerat, nec tamen probârat; sed pellet omnem dubitationis nubem simplicissima conjectura nostra: *Pompiliani item Capitolii.* id est, à Numâ Pompilio Rege constructi. cui tenuis ista & paupertina structura facilè conveniebat, raræ scilicet columnæ, trabes epistiliorum loco, humile tectum, signa fictilia, veteris simplicitatis certissima argumenta. De eo locus Ovidii (nisi fallor) intelligendus III. Fastor.

> *Juppiter* EXIGUA *vix notus stabat in* AEDE,
> *Inque Joris dextrâ* FICTILE FULMEN *erat.*

quod posteriùs de Fictili Jove etsi fatear ad Tarquinianum etiam referri posse, quem artifex 2 quidam Fregellis accitus talem primùm effinxit (ut suo loco narrabimus) tamen *Exiguam Ædem* non rectè Regium illud opus

1 Notis in hunc locum.
2 Plin. lib. 35.

opus vocaveris, quod ab ipsis initiis incredibili impensâ, & insanâ quâdam substructione surrexit. Capitolium autem Numæ satis exiguum atque humile fuisse cùm arctæ tunc P. R. res, tum Valerii auctoritas videtur ostendere, ubi vetera & solemnia ejusdem Populi Sacra adjurat: [1] *Romuli Casam, Veterus Capitolii humilia tecta, & æternos Vestæ igneis.* Jam nomen illud *Pompiliani* eruditis auribus sanè peregrinum non est. sciunt enim Arnobium, *Pompiliana indigitamenta*, & Ammianum, *securitatem Pompiliani temporis* dixisse: *Curiam* etiam *Pompilianam* in eâdem Urbe fuisse, cujus meminit Tacitus II. Historiar. & Fl. Vopiscus in Taciti Imp. vitâ. Apparet itaque insigniter allucinatum Servium, [2] qui *in Urbe Româ nullum Jovis Templum ante Tarquinios Reges* agnoscit. & annalium Scriptorem Cedrenum, cum Eusebio, & Cassiodoro, [3] qui Numam Regem non veteris illius ad Circum Floræ, sed recentioris in monte Tarpejo auctorem videntur adserere; qui Livii, Dionysii, Plutarchi, Taciti, cæterorumque veterum scriptorum unanimi testimonio fortissimè refelluntur.

1 Lib 4. 2 In 8. Æneid.
3 In Fastis.

ut proximè oſtendemus. Certè Plutarchum etiam memoriâ lapſum ſuſpicor, in Numâ, cum Euſebio 1, & Tertulliano 2 noſtris, qui nullum Romæ in Templis ſimulacrum prioribus CLXX. annis fuiſſe opinantur. nam Dionyſius-Halicarnaſſæus 3, curioſiſſimus rerum Romanarum ſcriptor, Romulum Silvium, *Græco ritu, multa Romæ Templa, fanaque & aras, ac ſimulacrorum Delubra, cum inſignibus eorum ubique poſuiſſe* ſignatè notat. Calidè tamen heic nihil affirmo. nè maximis illis viris nigrum θῆτα antè videar adſcripſiſſe, quàm intellexiſſe veritatem.

1 De præp. Euang. lib. 9.
2 In Apologet.
3 Lib. 2. Antiq.

CA-

CAPUT IX.

Tarquinius Priscus Corinthius Capitolium Novum JOVI, JUNONI, MINERVAE *vovet. Auguria de loco capiendo facta:* Mons Tarpeius *is fuit. Exauguratio Areæ Capitolinæ.* Jovi *olim in summis locis Templa posita.* Dii Tatiani, TERMINUS & JUVENTAS *augurio non addixere, quorum contumacia ab Auguribus probata.*

GLoria concepti 1 Novi operis penes TARQUINIUM PRISCUM fuit, Regem domi forisque inclutum. Is ultimo Sabino bello vovisse JOVI, JUNONI, ac MINERVAE creditur: eoque feliciter gesto aream in Capitolio ædificando Templo præparâsse, magnâ (si Dionysio 2 credimus) difficultate & impendio. nam cùm rupes Tarpeia difficili aditu esset, nec in vertice plana, sed præ-

1 Dionys. lib. 3. 2 Ibidem.

rupta ac protuberans, multis illam ſubſtructionibus undique aggredi coactus eſt, quò & moli tantæ ſuſtinendæ ſufficeret, & locus ipſe imponendæ ſerviret. Fundamentane jecerit votivi Templi, nonnulla apud ſcriptores controverſia eſt. Jeciſſe putant Livius & Tacitus, 1 negat Dionyſius: ſed circa locum ipſum occupatum fato priùs conceſſiſſe. Verba Livii apponam clara, liquida: 2 *Aream in Capitolio Jovis quam voverat* (PRISCUS) *bello Sabino, jam præſagiente animo futuram olim amplitudinem loci, occupat fundamentis.* & Cornelii Taciti æquè perſpicua: 3 *Voverat Tarquinius Priſcus Rex bello Sabino, jeceratque fundamenta ſpe magis futuræ magnitudinis, quàm quò modicæ adhuc res P. R. ſufficerent.* niſi dicamus *fundamenta* ab iis appellata, quæ circa collem (ex ſententia DionysI) à Tarquinio elaborata fuerant. Quiſquis tamen fundamenta iſta perfecerit, ſatis inter ſcriptores convenit Auſpiciis opus fuiſſe, ad loci electionem Deorum quaſi voluntate ſancien-

1 Et Eutropius lib. 1. 2 E lib. 1. *
3 3 Hiſtor.
* Neſcio quemadmodum Rycquius conceperit aream votam Jovi. Longe clarius & perfectius in Livio legitur *aream ad ædem in Capitolio Jovis quam voverat.*

ciendam. nisi quod iterùm Prisco ereptum hæc eunt, & *Superbo* ejus Nepoti aut Filio, [1] tributum. Inter hos etiam, quem laudavimus, Dionysius est, qui doctissimè (uti solet) totum Ritum, his verbis, explicavit: [2] *Ἐπειδὴ γὰρ ἔμελλε κατασκευάζειν ὁ Ταρκύνιος τὸν νεὼν, συγκαλέσας τοὺς οἰωνομάντεις ἐκέλευσε τοῖς ἀνδράσι περὶ αὐτοῦ πρῶτον διαμαντεύσασθαι τοῦ τόπου· τίς ἐπιτηδειότατός ἐστι τῆς πόλεως χῶρος ἱερὸς ἀνεῖσθαι τοῦ * τόπου, καὶ τοῖς θεοῖς αὐτοῖς μάλιστα κεχαρισμένος.* Vides igitur de ipso loco Auguria captata, nec casu aut fortè (quod placuisse quibusdam miror) sed *auspicatò* Capitolium à Tarquiniis electum. cum Dionysio facit Servius in illud Noni Æneidos:

— *Capitoli immobile saxum.*

In Urbe Româ (inquit) *Jovis Templum* [3] *non fuit. quod cùm jam devotum à Prisco Tarquinio vellet Superbus Tarquinius ædificare, cœpit Auguriis captare qui mons huic Templo esset*

 aptis-

1 Dubitant Liv. lib. 1. Plutarch. Poplicola, & Claudius Cæs. in Tabula Lugdunensi.

2 Lib. 3.

* Hæc duo vocabula non sunt in Dionysio, & temere provenisse ex calamo Rycquiano videntur, repetita ex præcedentibus, nihil huc facientia, immo turbantia.

3 Vide super. capite.

aptissimus. & cùm in omnibus Tarpeius esset inventus (in quo erant multa diversorum Numinum Sacella) actum est ut exindè ad alia Templa evocarentur sacrificiis, quo posset liberè & sine piaculo Templum Jovis exædificare. Primùm igitur de ipso Monte, mox de apto Montis loco Augurium captatum. Ostendit etiam Dionysius citato loco: ἀποδειξάντων δὲ αὐτῶν (Θεῶν) τὸν ὑποκείμενον * τῆς ἀγορᾶς λόφον, ὃς τότε μὲν ἐκαλεῖτο Ταρπήϊος, νῦν δὲ Καπιτωλῖνος, αὖθις ἐκέλευσεν αὐτοὺς διαμαντευσαμένους εἰπεῖν, ἐν ὁποίῳ τοῦ λόφου χωρίῳ θέσθαι δεήσει τοὺς θεμελίους. [1] Itaque cùm aliquot ibi anteà *Aræ* & *Sacella* quà à T. Tatio, *in ipso discrimine adversus Romulum pugnæ*, quà Numâ Pompilio Regibus dedicata essent, neque jura sinerent unum eundemque locum duobus DIs rectè consecrari, Exauguratione opus fuit, *ut libera à cæteris religionibus area esset tota Jovis.* quam idem scriptor lib. III. sic etiam describit: Ἔδοξε δὲ τοῖς οἰωνοπόλοις ὑπὲρ ἑκάστου βωμοῦ τῶν καθιδρυμένων διαμαντευσαμένοις, ἐὰν παραχωρῶσιν οἱ θεοί, τότε κινεῖν αὐτούς. quibus autem Diis votum olim fecerit T. Tatius Rex indicare videtur M. Varro

* Recte & melius legitur in Dionysio ὑπερκείμενον.

1 Liv. lib. I.

ro [1] in Relliquiis de Lingua Latina: *Ea* (inquit) *re Sabinorum linguam olent quæ TatI Regis voto sunt Romæ dedicatá. nam (ut Annales dicunt) vovit Opi, Floræque, Dijovi, Saturnoque, Soli, Lunæque, Volcano, Summanoque. itemque Larundæ, Termino, Quirino, Vortumno, Laribus; Dianæ, Cluacinæque.* Miror *Juventatem* non addidisse, quam fama est constans una cum Termino, [2] AccI NavI aliorumque Augurum precibus nihil commotam, suo loco substitisse. quæ res pulcerrimi ominis Auguribus est visa: *Placuit* (inquit Florus) *Vatibus contumacia Numinum. siquidem firma omnia & æterna pollicebantur.* unde nobile istud hemistichium Virgilianum [3], de Termino:

— CAPITOLI IMMOBILE SAXUM.

vulgatum quoque istud OvidI in Fastis:

TERMINE, *post illud levitas tibi libera non est,*
Quâ positus fueris in statione mane.

Tangit hanc ipsam εὐφημίαν fortissimus P. R. Dictator F. Camillus in Oratione [4] ad Quirites: *Heic* CAPITOLIUM *est, ubi quondam capite humano invento responsum est,*

1 Lib. 4. 2 Dionys. ibidem. Liv. lib. 1. Serv. in 9. Æn. Augustin. 4. de civ. cap. 24.
3 8. Æneid 4 Apud Liv. lib. 5.

EO. LOCO. CAPUT. RERUM. SUMMAMQ. IMPERII. FORE. *Heic cùm auguratò liberaretur* CAPITOLIUM, JUVENTAS TERMINUSQUE *maximo gaudio patrum nostrorum moveri se non sunt passi.* TERMINI etiam Jovi ipsi cedere nolentis lepidum & perantiquum Ænigmatium meminit apud Agellium, 1 Noctium Atticarum scriptorem, quod in Miscellaneis 2 suis politissimus Politianus olim explicavit:

> *Semel, minusne, an bis minus, haut satis scio,*
> *An utrumque horum (ut quondam audivi dicier)*
> *Jovi ipsi Regi noluit concedere.*

Dubitari autem possit in hemistichio Virgiliano, quod attulimus, SAXUM istud CAPITOLI num T. TatI TERMINUS fuerit, cui sacellum dedicaverit: an JUPITER ΟΡΙΟΣ sive TERMINALIS Numæ PompilI Regis, quem is in Capitolio atque agris colendum proposuit, ut Dionysius 3 & Plutarchus 4 adfirmant; num denique de universo Monte id pronunciaverit Poëta, in quo ea Romanæ æternitatis conspecta Auguria, quæ immo-

1 Lib. 2. cap. 6. 2 Cap. 10.
3 Lib. 2. 4 In Numa.

motam ibi Fortunæ ſedem pollicerentur. Nam *Saxum* etiam aliquando (antè jam docui) Mons totus appellatus. Vos Eruditiores diſpicite. Facto itaque Capitolio Juventatis & Termini Ædiculæ, quod augurio non addixiſſent, Templo comprehenſæ ſunt. & ſupra hujus, foramen in tectò apertum, *ut quia* Terminus [1] *Jovi non ceſſerat, libero cœlo frueretur.* Sed de Termini & Juventatis Ædiculis, cùm eo ventum erit, non perfunctoriè à nobis agetur[2]. Illud placuit huic capiti velut corollarium adjicere, κατὰ τὸ πρέπον Numam & Tarquinium feciſſe Reges, cùm in excelſiſſimis & æditiſſimis Urbis locis, Capitolino & Quirinali Montibus, Jovis Templum ſtatuerunt. quod omninò Architecto ſuo ſic obſervandum Vitruvius præcepit, his verbis: [3] *Ædibus ſacris, quorum Deorum maximè in tutellâ civitas videtur,* JOVI, JUNONI, *&* MINERVAE, *in excelſiſſimo loco, unde mœnium maxima pars conſpiciatur, areæ diſtribuantur.* eamdemque curam in Aris horum Numinum collocandis

D 6 alibi

1 Lactant. lib. 1. cap. 20.
2 Infrà cap. 14.
3 Lib. 1. cap. 7.

alibi [1] laudavit. *quarum altitudines* (inquit) *sic essent explicanda, ut Jovi & omnibus cœlestibus quàm excelsissimæ constituerentur.* Quin & Juppiter ipse illi concinit apud Sillium Italicum, ubi de Capitolio Domitiani:

[2] *Illa etiam quà prisca* FIDES *stat* REGIA, *vobis*
Aurea Tarpejâ ponet CAPITOLIA *Rupe*,
Et junget NOSTRO TEMPLORUM CULMINA CAELO.

dupliciter enim Templum suum probare videtur à magnificentiâ scilicet Ornamentorum, & situs proportione, ac celsitudine. Sed nos in Regio illo Templo exstruendo pergimus.

1 Lib. 4. cap. ult.
2 Lib. 3.

CA-

CAPUT X.

Serv. Tullius manum Capitolio admovet: Superbus plena fundamenta & operis partem è Manibiis absolvit. quantum *in* fundamenta *impensum*, & *eorum magnitudo ac magnificentia.* Caput *in illis* humanum *repertum*, *inde* Capitolio *fortè nomen. Aliæ ejus nominis caussæ. Prodigium Carthaginiense.* κακκάβη *Juppiter* κορυφαῖος.

Tarquinio Corinthio liberorum Anci Martii insidiis exstincto, dum Superbus adolesceret, prænunciatum fatali flama [1] regimen Serv. Tullius suscepit. is bellis aliquot præclarè gestis, & censu P. R. instituto manum quoque sacro operi, sed lentam, admovit. scribit enim unus de illo Tacitus [2]: *Sociorum studio* aliquid in opus contulisse, sed quid,

1 Liv. lib. 1. Dionys. 3. Val. 1. cap. 6. Cic. 1. de Divinat. 2 3. Histor.

quid, aut quatenus, indentidem non expressit. Eo quoque domestica fraude sublato, Tarquinius [1] animi vehemens, & conformes nomini suo spiritus gerens, *concepit animo eam amplitudinem Jovis Templi, quæ digna Deûm hominumque Rege, quæ Romano imperio, quæ ipsius etiam loci majestate esset.* Victâ enim Suessâ Pometiâ, sive (ut [2] Plinius, ex Antiate, mavult) *Apiolarum* opido capto, cùm divites Manibias Romam advexisset, magnam argenti vim locandis Capitolii fundamentis attribuit: de qua tamen variè scriptores opinantur. Fabius Pictor XL. [3] *Talenta in fundamenta sola expensa* tradidit, *quæ perducendo ad culmen operi fuerant destinata.* Calpurnius autem Piso XL. CIↃ *Pondo Argenti seposita in eam rem* scripsit. Utrius verior sententia sit examinemus. Pictoris summa, ex supputatione V. C. Justi Lipsii [4], *viginti quattuor millia Philippæorum* nostratium essent. Summa certè non adeo magna aut admiranda, ut DCCC. pedum fundamenta (tot enim circumquaque Templum illud habuit) inde exstruerentur. Verior itaque Pisoniana traditio, cum Dionysio, Plutarcho, [5] & Lipsio, no-

1 Superbus. Liv. lib. 1. 2 Lib. 3. cap. 5.
3 Liv. ibid. 4 In Admir. lib. 3.
5 In Poplicola.

nobis visa, λίτρας scilicet τετρακισμυρίας [1] fundamentis impensas: hoc est, *ducentis quadraginta millibus Philippæorum* æstimandas. Quæ quidem impensa fidem adeò non excedit, quàm Livio, & Joanni Stadio, [2] avo meo doctissimo placuit; rebus (ut bene Lipsius observavit) Italiæ tum copiosis, & è longâ pace florentibus. L. etiam Florus non unius modo Urbis eam prædam fuisse subindicat, cùm ait, [3] *è victarum Urbium Manibiis* Capitolium ædificatum. ostendit etiam C. Plinii à Livio dissensus qui *Pometinis* ab eo memoratis *Apiolanas Manibias* adjungit. Sed heic rursus more Veteris Senatus, ampliandum censeo, aut cum Academicis, in re etsi verosimili, sententiam sustinendam. Quod de fundamentorum ambitu dixi, Dionysii [4] fide nititur, qui Capitolium ὀκτάπλεθρον fuisse scribit τὴν περίοδον; id est, *ducentis ferè pedibus patens per latera singula.* nisi quod exactè metientibus compertum lati-

1 In Dionysio sunt 400. Talenta.
2 In Notis ad Florum. 3 Lib. 1. cap. 7. *
4 Lib. 3. Antiq. ‡
* Ubi legitur *captarum*, non *victarum.*
‡ Male citat. est enim ex libro 4, cap. 69. Et cur non potuit dicere Capitolium ὀκτάπλεθρον? Nam quod Dionysius illic dicit ὀκτάπλεθρος, inde est, quia præcessit ναὸς.

titudinem à longitudine non totis quindecim pedibus ſuperari. Ea fundamentorum magnitudo ad extrema uſque tempora manſit. idem enim ſcriptor affirmat de Sullano Capitolio : 1 ἐπὶ γὰρ τοῖς αὐτοῖς θεμελίοις ὁ μετὰ τὴν ἐμπρησιν οἰκοδομηθεὶς κατὰ τοὺς πατέρας ἡμῶν εὑρέθη, τῇ τε πολυτελείᾳ τῆς ὕλης μόνον διαλλάττων τοῦ ἀρχαίου. De Flaviano primo idem notat Cornelius Tacitus, 2 ſed adjungit relligione vetitos nè ambitum ejus augerent. Igitur poſtremum hoc altius Tarquiniano & Sullano : Sullanum vix iſto magnificentiùs, niſi quod è materiâ nobiliore & præſtantiore. Scribit enim Tacitus, laudato loco, *ea magnificentia Capitolium Regium fuiſſe dedicatum, quam immenſæ poſteà P. R. opes ornarent potiùs, quàm augerent.* Miratus eſt eam Capitolii amplitudinem Tertullianus in Apologetico, cùm ait : *Prior eſt Diis ſuis (ſilveſtris* 3*) Roma. antè regnavit, quàm tantum ambitum Capitolii exſtrueretur.* & Arnobius adverſus Genteis, ubi de Jove : 4 *Cumque illi* AUGUSTISSIMAS SEDES, *&* CAPITOLIA *conſtituerimus* IMMANIA. Verè *immania*, id eſt, immanis magnitudinis ſubnixa funda-men-

1 Ibidem. 2 3. Hiſtor.
3 Abeſt à v. cc. 4 Lib. 1.

mentis. quæ ſi vis, aut fatum abfuiſſet, temporum injuriam facilè contemnebant. nam ſi Priſcus Rex muris urbanis muniendis ea ſaxa quadrata eſt uſus, quæ ſingula plauſtrum onerarent; quid in *inſanas* [1] *Capitolii ſubſtructiones* contuliſſe eum credendum eſt, quas æternas eſſe voluit: *ſeneſque* ſuo ævo *mirari ſolitos cum aggeris vaſto ſpatio* Plinius notavit? Certè portentoſi iſti lapides, quos patrum ætas è ruinis hujus loci effodi vidit, non inanem fuiſſe P.R. querellam teſtati ſunt, [2] *qui ſe ex bellatoribus, & victoribus omnium circà gentium, opifices & lapicidas factos* ſuſpirabant. Illud verò admirandum in fodiendis ejus Templi fundamentis accidiſſe creditur, [3] *quod molientibus ædem opificibus in fundamentis humanum repertum eſt caput.* ita ſimpliciter Livianus abbreviator. addit Livius Hiſtoriæ, *integra facie id caput aperientibus fundamenta adparuiſſe.* Hoc etiam ampliùs M. Cato in Fragmentis: *Recens, & fluen-*

1 Plin. lib. 3. cap. 15.* 2 Liv. lib. 1.
3 Flor. lib. 1. cap. 7.

* Plinii locus eſt in lib. 36. cap. 15. neque ibi dicuntur *ſubſtractiones*, ut edi curavit J. Rycquius, ſequutaque eſt altera editio, ſed ut nunc correctum eſt, quum iſtud ſit nihili. Porro quî auctor ſcripſerit *ea ſaxa quadrata eſt uſus*, videat.

fluente sanguine. cui Dionysius adsentitur. 1 adjungunt alii *Tuscis notatam litteris*, & *Olli* sive *Toli* cujusdam *Vulcentani* fuisse. De Tolo vulgata sunt, quæ ex Antiquorum Commentariis Arnobius 2 attulit; De Ollo non item, quæ Servius ad VIII. Divinæ Æneidos annotavit. ait igitur: *Quidam dicunt cùm Capitolii ubi nunc est* (Nota ad discrimen veteris hoc dictum) *fundamenta jacerentur, caput humanum quod Olli diceretur inventum. quo omine* 3 *sollicitatos conditores misisse in Tusciam ad aruspicem illius temporis nominatum* (*Olenum Calenum* vocat Plinius lib. XXVIII.) 4 *qui jam indicaverat Argo filio suo tributum fataliter esse, ut is locus Orbi imperaret, in quo illud caput esset inventum. Obvii igitur Argo hi, qui missi fuerant, ubinam esset pater, interrogaverunt. qui cognita caussa itineris eorum omne responsum patris prodidit, monuitque ut caverent nè ab eo interrogatione deciperentur. sed cùm Legati ad eum pervenissent, & de significatione inventi capitis quærerent; volens ille dominatum orbis patriæ suæ potens* 5 *adscribere, inter-*

1 Etiam Suidas in καπιτώλιον.
2 Lib. 6. adv. Gentes.
3 Vulgò *omnes.* sed malè. 4 Cap. 2.
5 Leg. omninò: *potiùs.*

terrogavit : ANNE HIC, *suum locum ostendens*, INVENISSENT? *illis negantibus*, *suspicatus proditum esse responsum*, *quæsivit*: *an quemquam obvium fecissent? illis simpliciter confitentibus occurrisse sibi juvenem*, *tunc aruspex conscenso equo sequutus Argum occidit*, *eo loco*, *ubi nunc Romæ est ab ejus cæde* ARGILETUM. Quamvis hæc paullò aliter à Plinio [1] Dionysioque referantur, non piguit tamen prolixiùs adscribere, quòd alterum Æternitatis ostentum Quiritibus in Capitolio factum utcunque ostenderent. Nec multùm his abhorrentia sunt quæ de [2] *Quadrigis Fictilibus* Capitolii *in furno excrescentibus*, & *Bove mira & inusitatæ magnitudinis in Aventino immolato*, à veteribus memorantur. Adeò levibus è caussis Fatalem Imperii summam gentibus attribui stultè Antiquitate persuasâ. Quicunque ergo ille fuit sive *Ollus*, sive *Tolus*, nomen monti nostro novum fecit ut CAPITOLINUS adpellaretur, ex Arnobii Serviique sententiâ. Meliùs tamen illi atque honorificentiùs, qui à solo capite, nullius adjuncto nomine, CAPITOLII originationem ducunt. quam ideo prolixius inquirimus, quia & Quin-

1 Lib. 28. cap. 2. 2 Plinio ibid. Liv. lib. 1. Festo in *Ratumena Porta*.

& Quinctiliano [1] operæ pretium visum est *ex Historiarum veterum notitiâ nomina Hominum, Locorum, Gentium, Urbium* requirere. quanto magis unde ARX illa ORBIS appellata sit? cujus σύμβολον neque Oratorem ille suum latere cupit: & nos, ut cætera nesciamus, in præsenti opere ignorare non possumus. Posteriorem de Capite sententiam, ut Romanæ amplitudini aptiorem, secutus videtur Dionysius; [2] his verbis: Ἐξ ἐκείνου καλεῖται Καπιτωλῖνος ὁ τόπος, ἀπὸ τῆς εὑρεθείσης ἐν αὐτῷ κεφαλῆς. κάπιτα γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσι τὰς κεφαλάς· & M. Varro lib. IV. de L. L. *Capitolium dictum quòd heic, cùm fundamenta foderentur ædis Jovis, Caput humanum inventum dicitur.* Non desunt tamen viri doctissimi, [3] qui conficta hæc omnia

1 Lib. I. cap. 10. 2 Lib 4.
3 Ut Scaliger F. Notis ad Festum. *
* Etiam Ger. Jo. Vossius V. CL. statuit id esse ad gentis nobilitatem confictum. Quæ quidem qualis sit, vix video: quæ enim terræ pars est, quæ non exceperit partem humani corporis ossium: & sive caput reperiatur, occurratque fodienti sive pes. quæ inde nobilitas? Hinc is ipse rejicit eos etiam, qui quasi *Capipolium* dici putant in v. *Territorium*, quam plane sic quoque productam vocem putans jubet nos videre, quæ de hac voce dixerit in *Caput*: imo & in indice Etymologici de voce *Capitolium* mittit

omnia putent nobilitati gentis propagandæ, unamque nominis cauſſam adferant, quòd *Capitolium* eſſet ἄκρα, ἡ κορυφὴ τῆς πόλεως. ſive, *caput*, &, *vertex civitatis.* quæ opinio pla-

mittit lectorem ad vocem *Caput.* At in hac voce ne mentionem quidem ejus facit, ut hinc pateat, quam bene tractaverit patris ſcripta Iſaacus filius. In v. *Medius* etiam ſtatuit eſſe vocis productionem, ut fit in *meditullium*, ex ſententia Ciceronis. Vix credibile eſt in illis linguæ iſtius principiis vana productione ab eis vocem ſic porrectam fuiſſe. Ex Notis Tyronis ac Senecæ videtur opinio adferri, quaſi dictum nonnulli crediderint *Capiſolium* s deinde in t mutato, dum pag. 184 poſt *ſolium* ponitur *Epitolium*, quod repetitur pag. 158, ubi additur *Tritolium*, ut ſit velut Capyos ſolium. Sed verum videtur ab capite oli, non quod iſte Olus denotet certum hominem qui fuerit, appellationemque deſignet; ſed quum conſtet antiquos illo tempore dixiſſe *olus* pro *ille*, ut adhuc poſtea, quum geminare ſuſtinuerunt conſonantem, *ollus*, ex hiſtoriola iſta, quam fuiſſe antiquam, fuiſſe forſan & tunc diſperſam, fuiſſe quoque ab ſuperſtitioſis creditam non dubito, dixerunt *caput oli*, κεφαλὴ τοῦ δεῖνα, non alia contemplatione, quam fictus fuit Aius Locutius ex voce audita, & hinc ipſi loco additâ gloriâ nomen *Capitolium.* Interim notabilis eſt & proprie huc pertinens locus Marii Victorini de Orthographia. *Novenſiles per l ſive d ſcribendum: communionem enim habuerunt literæ hæ apud antiquos, ut dinguam & linguam, dacrymas & lacrymas, capitolium & capitodium, & ſella a ſeda, olere ab odore; & eſt communio cum Græcis. Nos lacrymæ, illi δάκρυα, olere ὀδωδέναι, meditari μελετᾶν.*

placuisse etiam videtur Isidoro in Etymologiis: *Capitolium* (inquit) *Romæ vocatum, quòd fuerit Romanæ Urbis & Religionis caput summum.* Lactantio quoque Firmiano, ubi de sepulcro Jovis Cretensi: [1] *Sciant ergo Romani Capitolium suum, id est, summum caput Religionum suarum publicarum, nihil esse aliud quàm inane monimentum.* In Glossis etiam Veteribus MSS. quas Lovanii inspicere mihi contigit, habebatur: *Capitolium summum caput Regionis.* ubi fortè legendum erat: *Relligionis.* & mox infrà: *Capitolium, caput Urbis quod adorabatur.* Notum est etiam Christianos scriptores Capitolium [2] *Idolium*, καὶ τὴν τῆς δεισιδαιμονίας κεφαλὴν aliquando nominâsse; ut non minus à Religionis principatu, quàm celsitudinis eminentiâ sic videri possit appellatum. Sed quemadmodùm Plautus, *qui vino utuntur vetere sapientes putat*; ita ego qui doctrinâ, præsertim cùm fidelior illa aut testatior habetur. sicuti ista (quam attulimus) de capite invento, quæ apud veteres scriptores ferè omnes in confesso est *. Sanè Poëta princeps (quo fidem

1. Lib. 1. c. 11. 2 Concil. Ancyranum c. 4. & 6. & Gangrense c. 6. & Tertullian. Fortunatus alii.

* Sic edidi, ut opinor voluisse Rycquium, quum in indi-

fidem majorem Romanis prodigiis astrueret) simile quid in æmulâ & rivali civitate accidisse finxit. Descriptione enim Carthaginiensis Capitolii (in quo Romani hujus graphica quædam descriptio expressa est) ista interposuit:

> [1] *Effodere loco signum, quod Regia Juno*
> *Monstrarat, caput acris equi: sic nam fore bello*
> *Egregiam, & facilem victu per sæcula gentem.*

Quamvis Stephanus de Urbibus, & is qui Trogum in compendium redegit, Carthaginem *κακκάβην* appellatam putent à signo eo invento, quòd Pœnorum linguâ *κακκάβη* [2] *mandibulam equinam* significaret; quam etiam Historiam Servius [3] agnoscit. Pro Corollario adjiciam (quod ultimò in mentem venit) Pausaniam II. Corinthiacôn, ubi JOVIS CAPITOLINI Templum describit, à Co-

indiculo erratorum poneret *p.* 37 *l.* 7 *in confesso habetur l.* 1. *c. est.* Scilicet relegenti displicuit iteratum verbum *habetur*, & pro eo substituit *est*, non utrumque poni voluit, ut fecit postrema editio.

1 1. Æneid. 2 Justin. lib. 1. *

3 Interpretatione hujus loci.

* Hæc citatio quid velit, intelliget nemo. De historia Carthaginis, quam videtur auctor innuere, agit ille in libro 18.

Corinthiis exſtructum, ΚΟΡΥΦΑΙΟΝ eum Jovem nominâſſe. quæ res Iſidori, Lactantii, Scaligeri ſententiam probabiliter firmet.

CAPUT XI.

Reges abſolutum non viderunt. initio libertatis dedicatum à M Horatio Pulvillo. *variæ ſuper anno ejuſque Conlegâ ſententiæ.* Dedicationis *Ritus*, & *Conſulis conſtantia. Locus ibi Senecæ examinatus.* Vultus Capitolinus. *Incendia Capitolii varia, ejuſque direptiones. Inſtauratum à* L. Sullâ, Veſpaſiano, Domitiano, & Theodorico *Rege. Ritus* Inſtaurationis. *Honorifica* nominis *in Templis* Inſcriptio. *Dio Caſſius, Vinetus aliique notati.*

A longiuſcula diſputatione feſſi redibimus in viam, & omiſſis fundamentorum tricis, ad Faſtigium Templi, & inſcriptos illi De-

Dedicatorum Titulos respiciemus. Ædis enim Sacra talis non habebatur, [1] nisi à Magistratu aliquo, Pontifice præeunte, dicendo fuisset dedicata. Illud verò infelicitatis utrique Tarquinio accessit, post Latinas Manibias Capitolinis [2] impendiis tributas, post labores P. R. sub eorum imperio vehementissimos exhaustos, [3] ut citiùs ipsi regno exciderent, quam Templum absolveretur, aut Dedicatio fieret. GLORIA enim OPERIS (DIs quasi sic volentibus) LIBERTATI RESERVATA est. *Perfectum enim* (teste [4] Plutarcho) *jam tum fere erat cùm Tarquinius regnum amitteret.* Itaque (si Dionysio credimus) tertio ab exactis Regibus anno, hoc est, R. C. CCXLVI. si Livio, ab iisdem exactis primo, V. C. CCLXIV. * duodetrigesimo (quod Polybius [5] annotat) ante Xerxis expeditionem, Eidibus, quæ posteà Julianæ dictæ, de Capitolio dedicando cogitatum est. Dedicavit M. HORATIUS PULVILLUS, sive primùm

E Cos.

1 Varro 4. de L. L. 2 Liv. lib. 1.
3 Dionys. 3. & 5. Tac. 3. Histor. 4 In Poplicola.
* Manifestus error vel ab calamo auctoris vel ab typis in primam editionem insinuans pergit ad posteros. Nec enim Livii epocha viginti annis posterior est illâ, quâ utitur Dionysius. Procul dubio voluit *V*. C. CCXLIV.
5 Etiam Plutarch. ibid.

Cos. sive iteratò : quæ plurium [1] sententia est. Is M. Horatius Sp. illi Lucretio suffectus fuerat, qui & ipse L. JunI Bruti (ab Arunte Tarquinii in acie interfecti) successor. Collegam habuit nobilissimum virum P. VALERIUM. VOLUSI. F. POPLICOLAM, vice TarquinI Collatini exulis à Bruto pariter adsumptum. Miror tamen unum Polybium λόγῳ ἱστορ. γ. à cæteris in Collegâ M. HoratI dissentire. P. enim Valerio prætermisso, L. Junium Brutum nominat. sic enim ibi legimus: *Γίνονται τοιγὰρ οὖν συνθῆκαι Ῥωμαίοις καὶ Καρχηδονίοις πρῶται κατὰ Λέυκιον Ἰούνιον Βροῦτον καὶ Μάρκον Ὁράτιον, τοὺς πρώτους κατασταθέντας ὑπάτους, μετὰ τὴν τῶν βασιλέων κατάλυσιν. ὑφ' ὧν συνέβη καθιερωθῆναι καὶ τὸ τοῦ Διὸς ἱερὸν Καπιτωλίου.* Sed ea Templorum ac Magistratuum confusio antiquissimo sæculo, & incuriæ ejus condonanda : quùm potiùs bene rem gerere commodo publico, quàm nomina aut facta sua accuratè describi maluerunt. certè etiam ipse Livius [2] *apud quosdam Veteres* LUCRETIUM TRICIPITINUM *non invenisse se descriptum fatetur. creditque quia nulla res gesta insignem Consulatum fe-*

cerit

1 Taciti ibid. Dionys. lib. 5. aliorum.
2 Lib. 2.

cerit memoriâ intercidisse. Sed decisis Fastorum nodis ad Dedicationem ipsam veniamus. Eam ita accuratè Livius describit, ut totum illum locum, etsi prolixum satis, heic non pigeat adscribere: [1] *Nondum dedicata erat in Capitolio Jovis ædes.* VALERIUS HORATIUSQ. *Coss. sortiti* [1] *uter dedicaret: Horatio sorte evenit. Ægriùs quàm dignum erat tulêre Valerii necessarii dedicationem tam inclyti Templi Horatio dari. id omnibus modis impedire conati, postquam alia frustra tentata erant, postem jam tenenti Consuli fœdum inter precationem Deûm nuncium incutiunt:* MORTUUM. EJUS. FILIUM. ESSE. FUNESTAQ. FAMILIA. DEDICARE. EUM. TEMPLUM. NON. POSSE. *Non crediderit factum, an tantum animo roboris fuerit, nec traditur certum, nec interpretatio est facilis. nihil aliud ad eum nuncium à proposito aversus, quàm ut* CADAVER. EFFERRI. JUBERET. *tenens postem precationem peregit, & dedicat Templum.* Admirabilem Horatii fortitudinem! sive crediderit verum filii sui funus (quod scriptores reliqui [3] extra dubium ponunt) sive rei per se horrendæ falsâ etiam commemoratione ani-

1 Ibidem. 2 Dubitat hic Plutarchus.

3 Ut Cicero passim, Plutarch. Poplic. Seneca, Valerius, alii.

mo consternatus non sit. Sanè M. Tullius non uno in loco constantiam illius viri disertè laudavit; pulcerrimumque hoc ei Elogium tribuit sapiens Annæus Consolatione ad Marciam: *Pulvillus hoc fecit Pontifex, cui postem tenenti & Capitolium dedicanti mors filii nunciata est. quam ille exaudîsse dissimulans, & solennia Pontificalis carminis verba concepit, gemitu non interrumpente precationem; & ad filii sui nomen Jove propitiato.* (ubi, quod sine præjudicio Legis Valeriæ sit, quam lubenter legerim: *Jovem propitiavit.* quod & sensus integritas & numerorum concinnitas exigere videtur.) *Putâsses ejus luctus aliquem finem esse debere, cujus primus dies, primus impetus ab altaribus publicis, & faustâ nuncupatione non abduxit Patrem. Dignus me herculè fuit memorabili Dedicatione, dignus amplissimo Sacerdotio, qui Deos colere nè iratos quidem destitit.* Hactenus utcunque cum Livio atque aliis Senecæ convenit, non æquè in illis quæ ibidem subjunguntur: *Idem tamen ut rediit domum, & implevit oculos, & aliquas voces flebiles misit, & peractis quæ mos erat præstare defunctis, ad Capitolium hilari rediit vultu.* In queis labi memoriâ Senecam existimo. non enim verosimile videtur, summæ constantiæ virum, relicto tantæ solennitatis of-

officio, ad effundendas lacrymas domum cucurrisse, & dedicationem mox ex intervallo peregisse. Doctissimus Juretus è vv. cc. lectionem istam sollicitat: [1] *ad Capitolium hilari rediit vultu.* & aptiorem longè meo judicio, substituit: *ad Capitolinum rediit vultum.* quasi *vultus Capitolinus* esset qui nullâ mœroris obnubilatus caligine, nullam sacris faciundis obnunciationem adferret. Generosam Consulis hujus & Pontificis vocem alii aliam exprimunt. Livius & Valerius, respondisse ferunt Valerii propinquis, aut Marco ejus fratri funus nuncianti, EFFER, aut TOLLE CADAVER. Serv. in XI. Æneid. CADAVER SIT. [2] nè scilicet agnitione domesticæ cladis P. R. sacra pollueret. quò respexisse etiam indicavit eruditissimum Vatem, cùm ait eodem libro:

> *Æneas quanquam & sociis dare tempus humandis*
> *Præcipitant curæ, turbataque funere mens est;*
> *Vota Deûm primo victor solvebat Eoo.*

quibus ea licebit addere quæ de *funeribus Impetrativis & Oblativis* mirificè huc facientia lumen

1 Notis in hunc locum.
2 Ita ferè & Plutarch.

men illud Galliæ Turnebus adnotavit lib. V. adverſarior. c. VII. Tum ea quæ de toto *Ritu Dedicationis* Jacobus Gutherius J. C. lib. III. de Vetere Jure Pontificio c. XI. qui unus inſtar omnium erit. nè cum tædio atque nauſeâ neceſſarium ſit eandem cramben ſæpiùs recoquere. Illud tamen non omittendum videtur, qui templum dedicâſſet pro conſuetudine tributum, ut nomen ejus Templi faſtigio inſcriberetur. Annotavit Dionyſius diligenter (uti ſolet) de eodem Horatio lib. v. *Τὴν δ' ἀνιέρωσιν αὐτοῦ καὶ τὴν ἐπιγραφὴν ἔλαβεν μὲν Μάρκος Ὀράτιος, ὁ ἕτερος τῶν ὑπάτων φθάσας τὴν παρουσίαν τοῦ συνάρχοντος.* Quod & Q. CATULI deindè (qui illud à primo incendio conſumptum reſtituit) Honori [1] conceſſum legitur, UT. NOMEN. EJUS. IN. CAPITOLINO. FASTIGIO. FULGERET. non ſine gravi Dictatoris Cæſaris æmulatione. Fallitur enim Dio Caſſius (ut bene vir ampliſſimus, & civis noſter clariſſimus, Torrentius [2] ad Suetonium obſervavit) qui inter decretos Cæſari honores hunc quoque additum, & ab eo admiſſum, ſcribit: *Ut nomen ejus, deleto Catuli, Capitolio inſcriberetur;* ad-

1 Plin. lib. 19. cap. 1. Valer. lib. 9. Cic. Verr. 4. Suet. Julio. 2 Et Lipſ. in 3. Ann. Tac.

adserente omninò Tacito (cui ut Romano in re Romanâ magis fidendum) LUTATI CATULI *nomen inter tanta Cæss. opera ad Vitellium principem mansisse.* [1] Accidit primum illud incendium seu æditui negligentiâ, seu incertâ culpâ vel fraude, anno V. C. DCLXX. L. Scipione & C. Norbano Coss. CCCCXV. postquam à Pulvillo dedicatum fuerat, anno. si veræ in Tacito numerorum notæ. ratio enim temporum videtur evincere ut cum Lipsio τῷ πάνυ scribamus, CCCCXXV. Ejus restituendi curam L. tum Sulla Dictator suscepit, sed non dedicavit. quod unum felicitati ejus negatum [2]. Mansit itaque cum Lutatiani nominis memoriâ ad civilia bella Vitelliana, quando Sabino Vespasiani fratre in Capitolium compulso, obscurum fuit *ignem tectis oppugnatores an obsessi injecissent. Quæ crebrior fama est* (inquit Tacitus [3]) *quò nitentes & progressos depellerent.* Instauravit denuò Vespasianus Aug. eâ religione, quam idem scriptor facundissimè exsequitur, [4] his verbis: *Curam restituendi Capitolii in* L. VESTINUM *confert, Equestris ordinis virum, sed*

1 Dionys. lib. 4. App. 1. de bell. civ. Plut. Sulla, I. Obsequens, Tacitus, alii.

2 Plin. lib. 7. cap. 43. 3 Tacit. 3. Histor. Suet. Domit. cap. 1. Oros. lib. 7. cap. 8. 4 4. Histor.

autoritate famâque inter Proceres. Ab eo contracti Haruspices monuere ut reliquiæ prioris Delubri in paludes aveherentur, Templum iisdem vestigiis sisteretur, nolle Deos mutare veterem formam. XI. *Kal. Julias, serenâ luce, spatium omne, quod Templo dicabatur, evinctum vittis coronisque. ingressi milites quibus fausta nomina, felicibus ramis. dein virgines Vestales cum pueris puellisque patrimis, matrimisque, aquâ rivis & fontibus amnibusque haustâ perluere. Tum Helvidius Priscus Prat. præeunte Plautio Eliano Pont. lustratâ bove taurisque areâ, & super cespitem redditis extis,* JOVEM, JUNONEM, MINERVAM, *præsidesque Imperii Deos precatus, uti cœpta prosperarent, sedesque suas pietate hominum inchoatas divinâ ope attollerent; vittas quibus ligatus lapis, innexique funes erant, contigit. Simul cæteri* Magistratus, *& Sacerdotes, & Senatus, &* Eques, *& magna pars populi studio lætitiaque connixi Saxum ingens traxêre: paßimque injectæ fundamentis auri argentique stipes, & metallorum primitiæ nullis fornacibus victæ, sed ut gignuntur. Prædixere* Haruspices *nè temeraretur opus saxo* [1] *aurove in aliud desti-*

1 Punitus quidam qui facere aliter ausus. Sueton. Domitian. cap. 8.

stinato. altitudo ædibus adjecta. id solum Relligio annuere: & prioris Templi Magnificentiæ defuisse creditum, quo tanta vis hominum retinenda erat. Hæc prolixiùs adscripsi, quòd multa haberent non protriti Ritus in Templis ædificandis, quæ ibi tantum non mererentur legi. Perfecit etiam ille Cæsar ac dedicavit (quidquid Vinetus [1] dubitet) auctore Plutarcho in Poplicolâ, cujus verba sunt: Τούτου δὲ πάλιν (de Sullano ædificio loquitur) ἐν ταῖς κατὰ Οὐϊτέλλιον στάσεσι διαφθαρέντος, τρίτον τῇ πρὸς τ᾽ ἄλλα καὶ τοῦτο χρησάμενος εὐποτμίᾳ Οὐεσπασιανὸς, ἐξ ἀρχῆς ἄχρι τέλους ἀναγαγὼν ἐπεῖδε γινόμενον, καὶ φθειρόμενον μετ᾽ ὀλίγον οὐκ ἐπεῖδεν. Unus quidem (quod sciam) Plutarchus hoc notavit. nam Tacitus, Suetonius, Xiphilinus de absolutione ejus omninò taciti. Discrepat iterùm non leviter à cæteris Tacitus, qui *L. Vestinum Equitem* fecisse ea scribit, quæ ipsi Vespasiano tributum ire alii solent. tum verò ut de absente Vespasiano Tacitus loquitur, quem maximè præsentem illi fuisse, [2] *& ruderibus purgandis manum admovisse primùm* volunt. Manifesta itaque hîc pugna est, quam & Lipsius

1 Notis in Auson. ad elog. Narbonis.
2 Suet. Vespas. & Dio apud Xiphilin.

ſius obſervavit, nec conciliare tamen potuit. Quidquid hujus ſit, ſatis conſtat Veſpaſiani auſpicio atque juſſu eam conſtitutionem factam; etſi liberrimus Senator Helvidius aliam ſententiam pronunciâſſet. videlicet: [1] *Ut Capitolium publicè reſtitueretur, adjuvaret Veſpaſianus.* id verò erat Principis auctoritatem minuere, Senatus & Populi augere. Ita ſub Sullâ Dictatore olim factum Cicero videtur oſtendere lib. v. in Verrem: *Etenim vel Capitolium ſicut apud majores noſtros publicè coactis fabris, operiſque imperatis gratis ædificari atque effici potuit*, &c. *quam* tamen *ſententiam* (ait Tacitus) *modeſtiſſimus quiſque ſilentio, dein oblivio transmiſit.* Conflagravit denuò iſtud Veſpaſiani Capitolium ſtatim ab ejus morte, fortuito caſu. [2] quod Domitianus deinde reſtituere aggreſſus tantâ firmitate ac magnificentia perfecit; quantam nunquàm anteà habuiſſet. [3] *Sed ſub titulo tantùm ſuo, ac ſine ullâ priſtini auctoris memoriâ.* quod nemo miretur in eo Principe cujus animus totus ad immanitatem atque ambitionem incubuerat. Æternitatem quamdam huic operi pollicentur Poëtæ. ut Statius in Silvis ad Cæſ. Domitianum: *Dum*

1 Tacit. 4. Hiſtor. 2 Plut. Poplic. Euſeb. Chronico. 3 Sueton. Dom. cap. 5.

Dum ſtabit tua Roma, dumque terris
Quod reddis Capitolium manebit.

& alibi :

Donec Troïcus ignis, & renatæ
Tarpejus Pater intonabit aulæ.

Falſi tamen, falſi vates illi; & anni non ità multi interceſſêre, cùm inſignem iterùm cladem accepiſſe conjicio, ex Paulo Oroſio, in rebus Commodi : *Flagitia Regis pœna Urbis inſequitur; nam fulmine Capitolium ictum, ex quo facta inflammatio Bibliothecam illam, majorum ſtudio curaque poſitam, adeſque alias juxtà ſitas rapaci turbine concremavit.* quæ iiſdem penè verbis apud Euſebium 1 legere eſt in Chronico ab Hieronymo tranſlato. & licet fatear ad alia Templa trahi etiam hæc poſſe, de ipſo tamen primario intelligendum ſuadet Martinus Chronologus, qui circa eadem tempora ſic notat : *Pars Capitolii divino incendio concremata eſt, & ſiniſtra manus Jovis aurea fulmine liquefacta eſt.* Chriſtianâ mox invaleſcente Religione, ſub Arcadio & Honorio Principibus, à Fl. Stilichone ſpoliari primùm cœptum conqueruntur non ſine ſtomacho Zoſimus 2 & Rutilius Numatianus 3. nam iſte punitos divinitùs Stilichonem

1 Et Marianum Scotum.
2 Lib. 5. 3 In Itinerario.

nem & Serenam ejus conjugem, ob ſacrilegium in Capitolio commiſſum ſcribit; Hic verò proditorem (nec injuriâ) Stilichonem vocat, quòd exuſtis libris Sibyllinis, Capitolioque direpto crimen perduellionis addidiſſet. ſic enim ait:

Non tantùm Geticis graſſatus proditor oris
Antè Sibyllinæ fata cremavit opis.

Non autem licuiſſe Chriſtianis è Templis Gentilium ablata in privatos uſus convertere, nè avaritiæ magis cauſſâ quàm Religionis id feciſſe viderentur; docuit nos Eruditiſſimus & Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius, ex epiſtolâ Auguſtini ad Publicolam, IV. Annalium Eccleſiaſt. Gizericus [1] deinde Vandalorum Rex multum ornatus illi detraxit, Totilas Gothorum, magnam partem igni conſumpſit. donec paulatim quà incenſum, quà direptum, veritatem Chriſtiani illius oraculi [2] expertum eſt:

Immortale nihil mundi compage tenetur,
Non Orbis, non regna hominum, non aurea Roma.

addemus ipſi (ſi licet)

Aurea nec ſacrâ Capitolia condita rupe.

Theo-

1 Procopius & Alb. Crantzius.
2 Apud Juvencum.

Theodoricus quidem Gothus, insignis animi Princeps (nisi eum intempestivâ sævitiâ corrupisset;) miseratione motus pulcerrimæ Urbis [1] Capitolium, Palatium, Amphitheatrum aliaque splendidiora ejus ædificia reparare conatus est. sed cùm omninò desererentur Gentilium sacra, & Populus Romanus

—— paucis Tarpejâ in rupe relictis
Ad sincera [2] virûm penetralia NAZAREORUM,
Atque ad Apostolicos Evandria Curia Fontes,

curreret cottidiè, vim fati effugere non potuit. Tangit eam Capitolii & Falsorum Deorum desertionem Hieronymus in epistolâ ad Lætam: *Auratum squallet Capitolium, fuligine & aranearum telis omnia Romæ Templa cooperta sunt. movetur Urbs sedibus suis, & inundans populus ante delubra semiruta currit ad Martyrum tumulos.* Tangunt Ambrosius, Augustinus, Arnobius variis locis; sed nè CAPITOLIUM destruxisse, antè videamur, quàm plenè exstruxisse, ad Formam ejus & Magnificentiam accuratiùs describendam; *ἀγαθῇ τύχῃ*, veniamus.

1 Cassiodorus, Crantzius, alii.
2 Prudent. in Symm.

CAPUT XII.

Molem Capitolinam quandoque Delubrum *aliàs* Ædem *aut* Templum *vocari. diſcrimen inter iſta breviter notatum. Templa ferè quadrata. Capitolium* quadrum: *ejus forma è numis & ingenio quæſita. Structuram videri* Doricam *fuiſſe.* Porticus *à fronte & latere adpoſitæ. De* crepidine *ejus aut* ſuggeſtu , *altitudine, ambitu , ſitu ,magnitudine multa noviter dicta. quæ Columnæ* Pentelicæ, *aut* Penteleſiæ.

Si quâ in re nobilis Grammaticorum veterum diſſenſio eſt, ea maximè inclaruit in diſtinguendis *Delubris* , *Ædibus* , *Templis* , adeò omnes omnia pugnantia inter ſe dicere, abſurda etiam aliqui & inania. quia tamen locus ille ſacer , quem deſcribendum ſuſcepimus , variè à ſcriptoribus & promiſcuè ſic appellatur , de diſcrimine horum trium aliquid

quid nobis prælibandum erit. neque tamen in re multotiens jam agitatâ ſupervacaneo libet labore diſtineri: neque in ipſo Capitolii quaſi limine adeò

— *multam hîc operam conſumere par eſt*; quando majoris operis prævifa nos meritò abſterret amplitudo. *Delubrum* Paullus [1] ille, qui Feſtum mutilavit, *fuſtem delibratum*, *hoc eſt*, *decorticatum* dici vult, *quem antiqui venerarentur pro Deo.* eum Græci Grammatici καθίδρυμα, ξόανον, καὶ ἀνάθημα appellant. fiebat iſtiuſmodi imago è ligno uno, qualem fieri in Templis commendat Plato apud Ciceronem in II. de Legibus. Verùm ea ſignificatio jam ad nos nihil attinet. Cincio [2] *Delubrum* dici placuit *locum ante Templum*, *ubi aqua currit*, *à diluendo*; συνεκδοχικῶς, pro parte totum, vel (quod Cornelio [3] Frontoni viſum eſt) *quia ibi homines pericula ſua diluerent.* Aſconio autem Pædiano, [4] *quod nulli junctum ædificio pluviâ dilueretur: multa numina ſub uno tecto complectens*: quâ ratione Capitolium *Delubrum* dicebatur, in quo Juppiter, Juno, Minerva ſub communi aquilâ eodemque tecto colerentur. Duas verò

1 Et Serv. in 4. Æneid.
2 Apud Serv. in 2. Æneid.
3 In Gloſſis. 4 In Divinat.

rò & præcipuas ejus vocis ſignificationes M. Varronem ajunt tradidiſſe lib. VIII. Rerum Divinar. cujus verba (prout à Veteribus 1 citantur) adſcribam: *Delubrum alii exiſtimant in quo præter ædem area ſit adſumpta Deorum cauſſâ. ut eſt in Circo Flaminio Jovis Statoris: alii, in quo loco Dei ſimulacrum dedicatum ſit.* Mox adjicit: *ſicut locum in quo figerent candelam, candelabrum appellatum: ita in quo Deum ponerent, nominatum Delubrum.* Utra igitur rationum harum placuerit, juſtiſſimè ſecundum Varronem Capitolium *Delubrum* appellabis. nam & aream ſuam adjunctam habuit 2 ſacri miniſterii paratam cauſsâ; & ſimulacra Deorum plurimorum ſolenniter conſecrata. De *Æde* non adeò variæ opinationes, ſed ſimpliciſſima atque optima videtur VerrI Flacci: *Ædem dici domicilium in adito poſitum, ſimplex atque unius aditus.* Sive (ut magis explicat Varro 3) *quod plano pede ſive planiùs adeatur*: ubi ſanè *planus pes* 4 nihil eſt aliud (noſtro judicio) quàm ἅλως πλατεῖα, ſive, locus ad ædificandum complanatus. quare & Capitolium, quia in planâ areâ,

1 Macrobio 3. Sat. cap. 4. & Serv. in 2. Æneid.

2 Serv 4. Æneid. 3 4. de L. L.

4 Aliter tamen explicatur in dimenſione Geometrica, pro pede Quadrato ſive Magno.

areâ, loco ædito civitatis constructum, sæpissimè Ædis nomine à scriptoribus censetur. ut à Varrone etiam ipso, loco subobscuro, sed cui lucis aliquid interpretando adferemus apud Nonium [1]: *Hæc Ædis, quæ nunc est, multis annis pòst facta fuit, in quâ omnia Regis temporibus Delubra facta sunt.* Per delubra enim cellas sive σηκὺς Tarquiniani Capitolii intelligit: in quîs Trium Numinum simulacra ex voto sint posita; quæ absoluta vult à Tarquinio ante exordia libertatis. Ita etiam P. Victor in Regione Urbis VIII. *Templum Jovis Opt. Max. cum tribus Delubris.* Hoc autem discriminis inter Ædem sacram & profanam ponit Charisius, *quòd si Ædes dixeris, Domum; si Ædis, Templum significes.* idquē videmus apud Nonium à Varrone sic esse usurpatum.

In Templo major difficultas est, quòd ea res Augurali scientiâ nititur: cujus vix linea aliqua tenuis posteritate traduce ad nos pervenit. attigit quidem aliqua M. Varro; sed tot nævis ac lituris, ea quæ superabant, injuriâ temporum sunt deformata; ut veritatem in iis quærere citiùs liceat, quàm invenire. Illud tamen in ejus commentariis [2] liquidum est

1 E lib de vita P. R.
2 6. de L. L. apud Serv. in 1. Æneid.

eſt atque perſpicuum Tripliciter Templum dici: *In cœlo, ab Natura: in terra, ab Auſpicio: ſub terra, ſimilitudine.* De cæleſti & ſubterraneo Templis nulla mihi impræſens quæſtio eſt: de terreſtri bene idem ſcriptor: [1] *In terris dictum Templum locus Augurii aut Auſpicii quibuſdam conceptis verbis finitus.* Nullum itaque Templum niſi inauguratum. atque ideò non omnis Ædis ſacra Templum eſt, ut nè Ædes quidem Veſtæ Romæ; nec etiam omne Templum propriè ſacrum erat: ut Curiæ Hoſtilia, Pompeia, [2] Julia, quæ inauguratæ in eum tantum uſum fuerant: *ut in iis Senatuſconſulta more majorum juſta ac legitima fieri poſſent.* nam inauguratio non tam ſanctimoniam ipſa conferebat, quàm Deus aliquis in Templo conſecratus. Templum itaque ſi definire velimus; *Ædificium Deo ſacratum per auſpicia publica conſtitutum*; rectè atque ordine definierimus. Quamobrem Capitolina Ædes, quia Jovi dedicata, ſanctimoniam: quia auſpiciis procuratis condita, Religionem habebat. atque ideò Templum etiam rectè vocabatur. Templa autem (ut ex vetuſtis numis obſervare eſt) ferè omnia qua-

1 Ibidem. 2 Varro, apud Agell. lib. 14. c. 7. & lib. 6. de L. L.

quadrata erant: & Natura ipsa Templorum hoc requirebat (ut bene à Gutherio [1] viro doctissimo annotatum est) *quattuor enim latera* ab Auguribus in iis designabantur: *sinistra ab Oriente, dextera ab Occasu, antica ad Meridiem, postica ad Septemtrionem.* [2] quæ πλινθία, sive quadrangularis forma, in Capitolini Jovis etiam servata est: eatenus tamen ut quadrum magis, quàm quadratum id liceret appellare. cùm laterum ejus πλευρώματα (si Dionysio fidendum est) totis fere quindecim pedibus anticam & posticam ejus partem superarent. Talis ejus forma spectatur in Numis Q. Petilii & M. Volteji, quorum exempla subjicio.

Ve-

1 3. de jure Pontif. cap. 2.
2 Varro ibid.





Æ



Ꜷ

Verùm ipſa [1] Dionyſii verba prolixiùs adſcribam, quibus ille Templum noſtrum unus omnium accuratiſſimè deſcripſit. quæ ſanè laus, ſupra Latinos, Græcis hominibus debetur in operibus Æternæ Urbis, Ritibuſque ſacris aut profanis λεπτομερῶς examinandis, & ad memoriam poſteritatis explicandis. quæ Romani plerumque Scriptores viſu atque uſu cottidiano velut faſtidientes prætericrunt. Utinam verò Dionyſius pro voto noſtro magis hîc etiam accuratus & copio-

1 Lib. 3. Antiq.

piosus! quantum nobis laboris ac negotii suâ industriâ ac labore sustulisset! sed hoc quoque infelicitatis, inter tot clades ac ruinas, Capitolio accessit; quod ille sic breviter describit: Εποιήθη δ' ἐπὶ κρηπῖδος ὑψηλῆς βεβηκὼς, ὀκτάπλεθρος τὴν περίοδον, διακοσίων ποδῶν ἔγγιστα τὴν πλευρὰν ἔχων ἑκάστην. ὀλίγον δ' ἔτι διαλλάττον εὕροι τὶς ἂν τῆς ὑπεροχῆς τοῦ μήκους παρὰ τὸ πλάτος, οὐδ' ὅλων πεντεκαίδεκα ποδῶν. ἐπὶ γὰρ τοῖς αὐτοῖς θεμελίοις ὁ μετὰ τὴν ἔμπρησιν οἰκοδομηθεὶς κατὰ τοὺς πατέρας ἡμῶν εὑρέθη, τῆτε πολυτελείᾳ τῆς ὕλης μόνον διαλλάττων τοῦ ἀρχαίου. Εκ μὲν τοῦ κατὰ πρόσωπον μέρους, πρὸς μεσημβρίαν βλέποντος, τριπλῷ περιλαμβανόμενος στίχῳ κιόνων· ἐκ δὲ τῶν πλαγίων διπλῷ. Εν δ' αὐτῷ τρεῖς ἔνεισι σηκοὶ παράλληλοι, κοινὰς ἔχοντες πλευράς. μέσος μὲν ὁ τοῦ Διός. παρ' ἑκάτερον δὲ τὸ μέρος, ὅτε τῆς Ηρας, καὶ ὁ τῆς Αθηνᾶς, ὑφ' ἑνὸς ἀετοῦ καὶ μίας στέγης καλυπτόμενοι. Ea Lipsius fere Latinè sic reddidit: *Situm est in crepidine fundatum alta, habetque in ambitu* VIII. *Jugera, sic ut Latera singula ducentorum ferè sint pedum, exigua longitudinis & latitudinis differentia. nisi quod ista illam vincit vix pedibus quindenis. Etenim Templum quod iisdem fundamentis patrum nostrorum memoria, post incendium fuit inædificatum solo luxu,*

luxu, ac materiæ magnificentia à priore differre compertum est. Qua parte frons ejus Meridiem spectat, triplici columnarum ordine cingitur, ab aliis Lateribus, duplici. In ipso sunt tres Cellæ ex ordine, à lateribus communione parietum clausæ: Media est Jovis, utrimque altera Junonis, altera Minervæ, sub una aquila, eodemque tecto. Ita Dionysius: cujus verba (quantum fieri poterit) ἐξηγήσει nostrâ clariora & commodiora reddemus.

In alta crepidine.) In æditissimo Urbis & Montis loco, quà à nativâ ejus celsitudine, quà Regiorum & Censoriorum operum substructione. Unde Ovidius egregiè sub finem Transformationis:

Quique tenes ALTUS *Tarpejas* JUPPITER *Arceis.*

& Martialis in x. Epigramm. de Ravennâ:

—— nec illhic
Sunt triplices Thermæ, nec Fora juncta quater.
Nec Capitolini summum Penetrale Tonantis,
Quæque nitent cœlo proxima Templa suo.

Nisi fortè *suggestum* ipsum Templi Dionysius

ſius intelligat, quem ſic Varro [1] nominavit, & quod probabilius mihi videtur.

In ambitu octo jugera) id eſt, ut Dionyſius rectè computavit, pedes octingenti: ſi ad Græcam menſuram τȣ͂ πλέθρȣ, ſive πελέθρȣ magnitudinem examines: quod Suidâ auctore centum pedes quoquoversùm continebat. unde & ſtadii ſexta pars, hoc eſt cubitorum ſex & ſexaginta longitudinem habebat. Meliùs itaque interpretes octo *Verſuum* ſive *Modiorum agri* eam magnitudinem Templi eſſe dixiſſent, cui cum πελέθρῳ Græcorum omninò conveniret. *Jugerum* enim Romanum, ſive Varroni & Columellæ aſſentiamus, qui *pedes ducentos quoquoverſum habere* dicunt; ſive F. Quinctiliano [2], *qui quadragenos ampliùs in longitudine, & centenos vicenos in latitudine* illud habere Oratorem ſuum docet; longè majorem in Dionyſio noſtro ſummam colligemus.

Frons ejus meridiem ſpectat.) In Meridionali Urbis parte Forum Magnum ſive Romanum, Via ſacra, & Palatium: quæ Capitolinum Templum, tanquam nobiliſſimam & frequentiſſimam totius Urbis partem, obverſum

1 Apud Agell. lib. 2. cap. 10.
2 Inſtit. Orat. 1. cap. 18.

ſum reſpiciebat. Quamobrem bilem mihi aliquando movit Ligoriana Antiquitatum Urbis Tabula, in quâ Templi frons planè in Occaſum, hoc eſt, in infame ſaxum converſa dirigitur. *Ab illa ergo parte* (inquit Lipſius in Admirandis 1) *centum etiam gradus fuêre, quibus (ut Tacitus atque alii) ſuperbè adibatur.* quo equidem in loco vir magnus centum gradus ad Monetæ cum gradibus Jovis Capitolini confudiſſe videtur. Idque ſequentia ejus verba itidem clarè indicant: *Gradus autem iſti haud dubiè ad majeſtatem: eoque in aliis Templis, etſi pauciores, ſoliti uſurpari. ſed ibi ratio, hic neceſſitas & locus æditior voluerunt.* Alia tamen omnia ut ſentiam M. Varronis apud Agellium 2 verba faciunt in epiſtolâ ad Sulpitium: *In memoria mihi eſt quod Q. Catulus curator reſtituendi Capitolii dixit, voluiſſe aream Capitolinam deprimere, ut pluribus gradibus in Ædem conſcenderetur: ſuggeſtuſque pro Faſtigii magnitudine altior fieret; ſed facere id non quiſſe quoniam Faviſſæ impediſſent.* His (inquam) verbis omninò perſuadeor Capitolini Templi gradus ad illos Monetæ nequaquam pertinuiſſe. nam ſi hoc concedendum eſſet, non Area Ca-

1 Lib. 3. cap. 5. 2 Lib. 2. cap. 10.

Capitolina, sed ipsum Forum deprimendum à Catulo fuisset ad gradus elevandos *. Qui autem Templi *Suggestus* à Varrone vocatur idem fortè est (ut diximus) quem Dionysius τὴν κρηπῖδα, & *Crepidinem Templi* interpretes reddiderunt. Eorumdem graduum Livius etiam meminit lib. IIX. ubi de Annio superbo Latinorum Legato: *Cùm & Coss. crebrò Deos implorantes, testes fœderum, & Patrum indignationem, & numina Jovis Romani sperneret, & commotus ira se ab vestibulo Templi citato gradu proriperet, lapsus per gradus, capite graviter offenso, impactus imo ita est saxo ut sopiretur.*

Columnarum triplicem ordinem.) Harum Columnarum in opere Tarquiniano meminit

* Alex. Donatus tamen judicavit Lipsium hac ratione parum urgeri. Sed quæ affert Donatus, Lipsius non dicit, quasi illic retractiones statuerit, ubi occurrerent favissæ: an dicere potuerit, credit Donatus; nempe ii ubi erant favissæ, gradus fuisse in plateam laxatos, ut ex ea ad Templi vestibulum minores identidem areolas & præcinctiones haberent. Sed non tam obesus erat Lipsius, ut favissas has supponeret fuisse per omnem clivi Capitolini adscensum; ut post singulos septem aut novem graduum ordines (interponi his spatiis vult) recurrens favissa cogeret areolas tales facere. Favissæ non fuerunt nisi junctæ & proximæ Templo Capitolino, non per adscensum collis ex foro

Livius, cùm ait in rebus M. Æmili Lepidi Pont. Max. [1] *Ædem Jovis in Capitolio columnasque circùm poliendas albo locavisse, & ab his Columnis, quæ incommodè opposita videbantur signa, amovisse.* Nimirùm ex opere albario, sive coronario, obtectionem intelligit, à Lepido curatam: de quâ Vitruvius lib. VII. c. II. & sequentibus. in quo opere mirabilem antiquorum industriam quasi adhuc spirantem multæ in Italiâ ruinæ hactenus conservant. Videntur ergo priores illæ columnæ structiles, non solidæ, aut (quod Græci propriè dicunt) μονόλιθοι fuisse: quas simili opere polire sanè venustum non fuisset. [2] Earum columnarum Dionysius haud meminit, ut quæ bello Sullano incendio perierint: sed earum, quas ipse Sulla Athenis, ex Olympii Jovis Templo, Capitolinis ædibus advexerat. quæ cùm tertio incendio essent deformatæ, Cæs. Domitianus alias ex eadem Urbe, è marmore Pentelico excisas, Capitolio suo petiit: sed quas (teste Plutarcho [3]) *nimiùm limando & expoliendo* non tam venustas reddidit, quàm *graciles nimiùm, & nonnihil à symmetria sua recedentes effecit.* Sanè multis egre-

1 Lib. 40. 2 Plin. lib. 36. c. 6. Vitruv. 3. c. 1.
3 In Poplicola.

egregiis columnis adornatum fuiſſe Domitiani Capitolium Statius Papinius [1] oſtendit in deſcriptione Templi Flaviæ Gentis, quod Capitolio comparavit:

Tectum auguſtum, ingens, non centum inſigne columnis:
Sed quantæ Superos, cælumque, Atlante remiſſo,
Suſtentare queant. Stupet hoc vicina Tonantis
Regia, teque PARI *lætantur* SEDE *locatum*
Numina.

Nec fieri aliter potuit in triplice illâ Porticu, quæ frontem; duplice, quæ latera Capitolii cingebant. *Pentelicum* autem ſive *Penteleſium* marmor in agri Attici monte [2] eruebatur, ſummæ inter lapicidinas æſtimationis. eoque nomine à Theophraſto, Pauſaniâ, Strabone celebratum. Veſpaſianus autem Domitiani pater unde columnas habuerit Capitolio ſuo deſtinatas, ſcriptores æquè non produnt; Urbanum tamen ejus dictum, factumque Suetonius: [3] *Mechanico* ſcilicet *cuidam grandes columnas exiguâ impensâ per-*

1 4. Silvar. 2 Vitruv. lib. 2. cap. 18.
3 Cap. 18. Veſpaſ.

ducturum in Capitolium pollicenti, præmium pro commento non mediocre obtulisse, operam remisisse: præfatum, sineret se plebeculam pascere. in quo animum cernere licuit Principis ingenia foventis, & populum suum nihilominùs amantis atque defendentis. *quem* (ex sententiâ Senecæ) *tam omnes supra se esse quàm pro se scirent.* Ibam ad reliqua Dionysii, sed reprehendit me & sustinuit dubitatio nulli hactenus Antiquariorum discussa, videlicet cujus structuræ columnæ hæ, ac proinde tota Capitolii Moles, fuisse videri possit? Libri (quod sciam) nihil omninò juvant; vestigia etiam superant nulla, quibus instructiores evadamus; Numi aut Gemmæ, quia exigua sæpe, obscura, & detrita sunt, parum cognitionis adferunt; Res itaque nostro Marte gerenda est. hoc est, conjectura & divinationes adferendæ, quibus umbram aliquam veri, aut verum fortassean eruamus ipsum. Suspicor itaque illius speciei fuisse, quam *οἱ ἀρχιτεκτόνων παῖδες Doricam* appellant: Vitruvianâ [1] maximè ratione permotus, quâ præcipit *Minervæ, & Marti, & Herculi ædes Doricas fieri: his enim Diis, propter Virtutem, sine delitiis ædificia constitui oportere.*

1 Lib. 1. cap. 1.

tere. quemadmodum delicatioribus, *Corinthias*; *mediocribus*, *Ionicas*. Quis ergo in illâ Æde, quæ duo fortissima Numina haberet, Jovem, & Minervam; tum in ipsa arce Martialis populi, quis aliâ credat quàm Martiali fabricâ usos? Altera suspicio nostra est ex imitatione JOVIS OLYMPI: cujus majestatem Romani in Capitolio suo planissimè expresserunt. igitur cum (auctore Pausaniâ 1) Doricâ specie Templum ejus in Ælide fuerit, omninò existimo ad eundem fermè modum Capitolium esse constructum. Sed in clarissimis etiam alibi Templis nobilis & usitata ea structura: 2 ut in æde *Minervæ*, quæ in Acropoli, Athenis; in Samo insulâ, *Junonis*: apud Eleusinios, *Cereris*. Doricam etiam suspicor fuisse ædem *Jovis Olympii* Athenis, ex quâ Sulla columnas Capitolii advexit. Quod si ita se res habet, quis credat alterius formæ aut proportionis ædificio venustè eas potuisse conjungi? Hoc itaque de Sullano sic ferè possim adfirmare. nec mutâsse credam Domitianum Aug. etsi operis magnificentiâ istud in tantum superârit, ut Martialis 3 pro insania habuerit illos, qui

Laudabant CATULI *vilia Templa senes.*

1 5. Eliacor. 2 Vitruv. præf. lib. 7.
3 Lib. 5. Epig.

CAPUT XIII.

Tres in Templo Capitolino Cællæ, *eæ* σηκοὶ, Ædes, Templa, Delubra *aliter vocatæ.* JUPPITER, JUNO, MINERVA *quare simul in Capitolio culti? idque etiam in Provinciis servatum. quid* Aquila *in Templis: quid* ἀετὸς, ἀέτωμα, πτέρυξ, ςέγασμα, γεισοπόδες & γεισοπόδισμα *è Græcis Grammaticis explicatum.*

Pergit Dionysius in descriptione ejus Templi: *In ipso sunt tres cellæ ex ordine, à lateribus communione parietum clausæ.*) Σηκὸς vocat ipse suâ linguâ. quod Hesychius explicat, ἐνδοτέρους τόπους τοῦ ἱεροῦ. Varro *Cellas, in quibus Dei sedes sunt*: [1] easque à *celando* [2] dictas aliqui voluerunt. Eæ cællæ Capitolinæ interdùm *Ædes* à Scriptoribus vocantur. ut ab Ovidio IV. de Ponto:

Me quoque secretò grates sibi Magnus agentem
Audiret mediâ qui sedet Æde Deus.

Jovem enim intelligit in mediâ cællâ constitutum, ut infrà docebimus. Sic etiam Tacitus

1 4. de L. L. 2 Festus in *Cælla*.

tus in Annalibus: *Urbem Nero Princeps lustravit, è responso Haruspicum, quòd Jovis ac Minervæ Ædes de cælo tactæ essent.* sic enim κατ' ἐξοχὴν illæ vocantur, cùm alius locus certus non exprimitur. Vocantur etiam *Templa*. Liv. lib. VII. de clavo pangendo: *fixus fuit dextero lateri ædis* JOVIS OPT. MAX. *ea parte, qua Minervæ Templum est* *. Ovidius iterùm II. Tristium, loco mirificè huc facienti:

Cùm fuerit JOVIS *Æde, Jovis succurret in Aede*
Quam multas matres fecerit ille Deus.
Proxima adoranti JUNONIS *Templa, subibit*
Pellicibus multis indoluisse Deam.

* Hic Livii locus, ab hoc Rycquio excitatus omnibus deinceps, qui Romam aut Capitolium tetigerunt, placuit. Sed eum ipsum quoque, & sequentia ex Macrobio, cum ipsis nummis vide sodes, quam bene potuerit conjungere etiam Raphael, non cælestis, sed Urbinas Fabrettus ad columnam Trajan. pag. 77, qui tamen hunc Rycquium, scriptorem certè ipso non parum meliorem, non novit. Ne quid autem desideres, apposui ex illo ipso gemmam, quam vides in vertice paginæ 134.

PALLADE *conspecta, natum de crimine Virgo*
Sustulerit quare, quaeret, Erichthonium.

Etiam *Delubra* nominata. Ut Varroni apud Nonium: [1] *Haec Aedis quae nunc, multis annis post facta fuit, in qua omnia Regis temporibus Delubra sunt facta.* & Plinio majori: [2] *Proserpinae Tabula fuit in Capitolio, in Minervae Delubro, supra Aediculam Juventutis**. Heic non immeritò quærit Cl. Lipsius, [3] ullumnè discrimen columnarum an interpositio parietum fuerit in cællis Capitolinis, cùm Dionysius simpliciter κοινὰς πλευρὰς habuisse scribat, ambiguo & intricato nimis sensu? & opinatur certò fuisse, sacellique aut ædiculæ speciem singulas habuisse. quid autem discriminis illud fuerit citiùs nobis liceat divinare cum Lipsio, quam adfirmare.

Media est Jovis, utrimque altera Junonis, Altera Minervae.) Confusiùs hoc paullò Dionysius, non enim satis exprimit quæ læva esset istarum, quæ dextera. distinctiùs P. Victor, in descriptione Regionis IIX. *Templum Jovis Opt. Max. in quo erant tria Delubra:*

1 E libb. de Vita P. R.
2 Lib. 35. cap. 10.
* Pag. 139. citat Juventatis.
3 In Admirand. lib. 3. cap. 5.

bra: medium Jovis, dextrum Minervæ, lævum Junonis. Ubi Minervam Jovi dextram poni, nescio an validum argumentum sit opinioni eorum tuendæ, qui τὰ ἀριστερὰ antiquis honestiora fuisse docuerunt. quod tamen viro magno, cùm adversus popularem suum eâ de re disputaret nuper prudenter dissimulatum est, aut certè à memoriâ subductum.

Rationem autem cur terna illa Numina junctim heic colerentur, præter Votum Tarquinii, Samothraciis relligionibus imbuti, quidam hanc adsignârunt, quod [2] DI PENATES *existerent, sine quibus vivere ac sapere nequiremus, sed qui penitus nos regerent ratione, calore, spiritu.* Placuit autem veterrimis Theologis medium Ætheris JOVEM adpellare. ex quo vulgatum illud [3] EnnI:

Isthic est is Juppiter, quem Græci vocant
Aërem;
Qui ventus est & nubes, imber posteà,
Atque ex imbre frigus, ventus post fit, aër denuò.

illud quoque Platonis Poëtarum:

1 Lipsio 3. Elect. cap.2. 2 Macrob. lib. 3. & 4. & præter eum Arnobius, Augustinus, alii.
3 Apud Varronem 14. de L. L.

At pater omnipotens fæcundis imbribus Æther
Conjugis in gremium lætæ descendit.

JUNONEM enim infimum ejusdem, sive aërem cum terrâ citimum esse dixerunt, undè & *conjunx, & soror* JOVIS OPT. MAX. esse credita. Agnoscit eam veterum Philosophiam Phurnutus de Naturâ Deorum, cùm Græcorum Ζεὺς ἀπὸ τοῦ δεύειν deducit, origine non obscurâ. est enim δεύειν *humectare, irrigare, madefacere.* quod medii aëris est proprium. quare & ὑέτιος cognomento etiam cultus, ut memini * jam non notum. hinc Doricâ Dialecto Ζδεὺς derivatum, & commune illud Ζεὺς, ac Latinorum fortè etiam *Deus.* Ut jam non obscurum sit quare [1] ψυχὴ πάντων, καὶ πνοὴ, καὶ ῥίζα, à genitabili videlicet aëris naturâ Juppiter vocatus. PALLADEM è parentis sui capite ortam ideò fabulati sunt, quod homini suprema pars corporis sit caput, mundi autem æther, cujus supremum Palladi tribuebant. Apparet ex Hymno Martiani in Nuptiis [2] Philologiæ, ubi hoc elogium Minervæ scribitur:

—— *Di-*

* Voluit *nemini*.
1 Apud Phurnutum, Appulejum, alios.
2 Lib. 6.

— Divûmque hominumque sacer νȣ̃ς:
Ultra terga means rapidi ac splendentis Olympi,
Celsior una Jove; flammantis circulus æthræ.

μυςικώτερον igitur in illâ Arce Religionum simul consecrati sunt, & publicâ veneratione simul adorati. Unde solemnes istæ reperiuntur veterum obsecrationes; ut Scipionis Africani apud Sillium: 1

— *Tarpeja* PATER *qui Templa*, SECUNDAM
Incolis A CAELO SEDEM, *&* SATURNIA *nondum*
Iliacis mutata malis, tuque aspera pectus
Ægide, Gorgoneos VIRGO *succincta furores.*

& Paulli Æmilii Conf. apud Valerium: 2 JOVEM OPT. MAX. JUNONEM REGINAM, *&* MINERVAM *precatus sum, ut si adversi quid P. R. immineret, totum in meam domum converteretur.* Venustissima etiam illa in ineptâ aliàs Oratione, 3 ad Equites, de Exsulio: *Nunc ego te,* JUPPITER OPT. MAX. *cujus nutu ac ditione sola terrarum gubernantur:*

1 Lib. 10. 2 Lib. 5. cap. 9.
3 M. Tullio falsò inscripta.

teque particeps connubii, socia regni, REGINA JUNO: *teque Tritonia armipotens Gorgone* PALLAS MINERVA: *caterique* DI, *Deaque immortales, qui excellenti tumulo civitatis sedem* CAPITOLII *incolitis, oro atque obsecro, ferte opem.* Quam religionem in vetustis etiam lapidum monumentis videre est. ut in Mediolanensi isto:

JOVI. O. M.
JUNONI
MINERVAE
Q. V. G. V. S. L. M.

Et illo Albæ Juliæ:

I. O. M.
JUNONI. REGINAE
MINERVAE
L. ANNIUS. ITALICUS. HONORATUS
LEG. AUG. LEG. XIIII. ANTONINIANAE
PRAEF. AERARII. MILITARIS
SODALIS. HADRIANALIS. CUM
CLAUDIA. TORQUATA. SUA.
ET. ANNIIS
ITALICO. ET. HONORATO
ET. ITALICA. FILIIS

In alio item qui Cærete est, agro Veronensi:

JOVI

JOVI
JUNONI
MINERVAE
.... VS. V. S. L. M.

Videre etiam eſt in innumeris antiquis Numis, in queis eximii iſti Auguſtales.

D. TRAIANI.



D. TRAIANI.





D. ANTONINI PII.



D. ANTONINI PII.



Cur Imperatoribus his titulum Divi tribuerit Rycquius, quum viventibus illis hi nummi sint cusi, non intelligo. Si ipse tales eos habuerit, liceat. Angelonius vero refert nummum Hadriani, qui pavonem Iunonis ad dextram aquilæ ponit, noctuam Palladis ad sinistram.

Quare & Supplicationes simul ad eorum cællas indici, & Ludos iis simul ab Ædilibus procurari moris fuit. ita Cicero de semetipso lib. v. in Verrem: *Mihi Ludos antiquißimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate ac relligione* JOVI, JUNONI, MINERVAEQUE *esse faciendos P. R. Ædili decrevit.* Quamquam præter Deos istos συνναὺς καὶ ὁμεχέτας alios interdum Jovi Capitolino socios lapides adjungant, ut iste Romanus, apud Janum Gruterum:

JOVI. CAPITOL.
MARTI. ET. FORTUNAE
ALIISQ. DIS. CONSERVAT.
DOMUS. AUG.
IMP. CAES. DIVI. F.
AUGUSTI. PONT. MAX.
VOTO. SUSCEPTO
L. DOMITIUS. MAXIMUS
. . . .
S. P. P.

iste quoque in Electis Lipsianis:

I. O. M.
ET. DEAE. SYRIAE.
ET. GENIO. VENALICI

alius item in Pannoniis, apud Lazium:

I. O. M.

I. O. M.
JUNONI. REGINAE
MINERVAE
OMNIBUS. DIIS. IMMORTALIBUS
Q. AXIUS. AELIANUS. VET.
PROC. AUG. ET. AELIA. ROMANA
EJUS. CON.

Nec mirum tres istos Imperii ac Naturæ Præsides etiam peregrè nominatos, nam & illhic in Capitoliis suis colebantur. Adfirmat Lactantius libro de falsâ Rellig. cap. XI: *Juppiter sine contubernio conjugis filiaque coli non solet.* Arnobius: *Quis nescit in Capitoliis omnibus virginaleis esse species Minervarum?* Sidonius Martyrio Saturnini, Tolosæ in Capitolio passi:

Quem negatorem Jovis ac Minervæ
Vinxit ad tauri latus injugati
Plebs furibunda.

Sed de Coloniis Provincialibus [1] iterùm protollo.

Quod est prætereà in Dionysio: *Sub unâ aquila eodemque tecto.*) Interpretes hîc quidam minus venustè *Laqueare*, aut *pinnaculum* reddiderant; *Fastigium* enim *aquila* dixerat

1 Vide cap. 47.

rat Cornelius, * loco ſuprà à nobis laudato; & Pauſanias ἀετὸν ſimiliter in Templo Jovis Olympii [1] ubi ejus altitudinem metitur. ἀετὸν autem Gloſſæ Heſychianæ [2] explicant ὄροφον, ἢ τὸ ἐπὶ τῷ γείσῳ, vel γείσῳ, κυμάτιον. vocatur alio nomine [3] πτέρυξ, ἀέτωμα, καὶ στέγασμα. Sic enim propriè in ſacris ædibus vocabatur anterior tecti pars, faſtigio & Pronao incumbens, quod expanſis quaſi alis eadem obvelaret: teſte Galeno in Gloſſis Hippocraticis, & Euſtathio in Iliad. ω. Eæ fortaſſis alio nomine à Polluce γεισοπόδες, & γεισοποδίσματα appellantur. quod etiam vir magnus ad dictum Taciti locum nuper obſervavit.

* Imo faſtigium aquilæ nugatorium eſt. Scripſerat Tacitus 3 hiſt. cap. 71 *ſuſtinentes faſtigium aquilæ*, ubi vox poſtrema eſt in plurali, ut reor intellexiſſe viros doctos omnes & manifeſte Alex. Donatus in fine capitis quarti lib. 2.

1 1. Eliac. 2 Et Pollux Onomaſt.

3 Suidas in Lexico.

C A-

CAPUT XIV.

Ædiculæ TERMINI & JUVENTATIS *ambitu Templi contentæ: illius* ὕπαιθρα *aut subdialis, hæc cellæ dexteræ inclusa. Juppiter* ὅρι@. *Termini sacra.* Terminalia *unde dicta.* βαίτυλ@. *Termini è lapide & stipite.* Juventus & Juventas *quî differant. item* Juventa & Juvenilitas. *Dea* Hora, Hebe. *Juventatis sacra. Ludi* Juvenaliûm. *An etiam* Mars *in Capitolio cultus.*

Diximus è Dionysio quæ ad structuram Capitolii facere videbantur; restant Sacella quæ non tam architecturæ ratio, aut concinnitas, quàm ipsa Religionis necessitas inclusit. TERMINO enim & JUVENTATE (ut suprà diximus) Augurali obsecrationi cedere nolentibus pro monstro est habitum, statutumque ut qui cedere DIs majoribus noluerant, ejusdem Templi finibus clauderentur.

tur. Dicam iterùm Dionysii verbis : 1 Τοιγάρτοι συμπεριελήφθησαν αὐτῶν οἱ βωμοὶ τῇ κατασκευῇ τῶν ἱερῶν. καὶ νῦν ὁ μὲν ἕτερός ἐστιν ἐν τῷ προνάῳ τῆς ἀθηνᾶς· ὁ δ' ἕτερος ἐν αὐτῷ τῷ σηκῷ, πλησίον τοῦ ἕδους. Sed quas ille βωμὺς sive *Aras*, Plinius & P. Victor *Ædiculas* vocant. agnoſcit enim iſte, *Nicomachi Tabulam, in Capitolio, in Minervæ delubro, ſuprà ædiculam Juventatis.* Unde apparet alteram Termini fuiſſe in veſtibulo ejus Delubri : non quà cellæ Jovis ſe conjungeret in umbilico Templi, ſed quà ad tecti declivitatem vergeret, in Angulo compoſitam. Colligo id è verbis interpretis Virgiliani, qui ita diſertè in IX. Æneid. *In Capitolio prona pars tecti patet, quæ lapidem ipſum Terminum ſpectat.* quæ nobiliſſimi Grammatici verba quomodo aliter explicari poſſint non video, niſi quod (ut benè à vero Sapiente nuper eſt monitum) *lubido quibuſdam eſt disſentire.* adjungit rationem Servius : *Huic Termino non niſi ſub divo ſacrificabatur.* ubi vulgo corruptè : *ſub clivo.* cui & Ovidius accedit, in Faſtis, ubi de eodem Deo :

Nunc quoque ſe ſupra nequid niſi ſidera cernat,
Exiguum Templi tecta foramen habent.

Unde

1 E lib. 3. Antiq.

Unde Verrius Grammaticus apud Festum Pompejum: *Terminus quo loco colebatur super eum foramen patebat in tecto, quòd nefas esse putarent Terminum intra tectum consistere.* Lactantius etiam lib. I. c. XX. quem brevitatis gratiâ prætermitto. Quod tamen à Servio dicitur, illi Deo *non nisi sub divo sacrum fieri licere*, testimonio nititur Dionysii, 1 qui (cum JOVIS ὉΡΊΟΥ, sive TERMINATORIS, cultum à Numâ Rege institutum percurrit) mox addit: *Καὶ θυσίας ἔταξεν αὐτοῖς ἐπιτελεῖν ἅπαντας ἡμέρᾳ ταχθῇ, καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἐπὶ τὸν τόπον συνερχομένους· ἑορτὴν ἐν ταῖς πάνυ τιμίαν καὶ τὴν τῶν ὁρίων θεῶν κατασησάμενος.* Voluit nimirùm superstitiosus Rex ubique Termino Deo sacrum fieri, in quo loco fuisset lapis metatorius defixus: idque annis singulis, eo die, quem à Dei nomine TERMINALIA Dionysius, Livius, Censorinus, Kalendarium Vetus appellant. ex a. d. IX. scilicet Kalendas Aprileis. post quem diem Intercalatio fieri solita. Varro lib. V. de L. L. *Terminalia, quod is dies anni extremus constitutus. duodecimus enim mensis fuit Februarius: & cùm intercalatur inferiores quinque dies duodecimo demuntur mense.*

1 Lib. 2. unde etiam Plutarch. in Numa.

mense. idque ante Dictatorem Julium olim sic usurpatum. *nam* (ut bene traditum est Censorino) [1] *Cæsar instituit, ut peracto quadriennii circuitu dies tantum unus post Terminalia intercalaretur.* Sed hæc intercalandi ratio quia à Viris doctissimis diligentissimè est tradita, & extra oleas nostras abit, consultò à nobis prætermittetur. Illud tamen ex Varronianis verbis licet observare aliam ibi Terminaliorum originem afferri, quàm à Terminorum præside Deo. istam videlicet: à Termino anni; sive, quod is dies annum terminaret: cùm XXII. aut XXIII. extremi mensis die intercalationes fieri solitæ. quò spectat illud Ovidii in Fastis: [2]

Qui sequitur Janum, veteris fuit ultimus anni:
Tu quoque sacrorum TERMINE *finis eras.*

Sed quia superior opinio pluribus & majoribus testibus firmata est lubentiùs eam sequor. Fiebat autem Termino sacrum ἀναίμακτον. id est, sanguinis & saniei omnis purum. non enim Vetere Theologiâ licitum [3] αἱμάττειν τοὺς λίθους. Unde πελάνους ἢ Δήμητρος καὶ ἄλλας

1 Sueton. etiam Cæs. cap. 40. 2 Lib. 2.
3 Dionys. ibid. & Plutarch. in Ætiis.

ἄλλας τινὰς καρπῶν ἀπαρχὰς in ſacrificio illi ritè offerebant. eam opinor ob cauſſam quòd cuſtos atque fautor amicitiæ ac pacis, tributis ſuis cuique finibus, inter vicinos haberetur. quæ tamen religio diu poſteros non tenuit: auctore enim Ovidio, citato in loco:

Spargitur & caſo communis Terminus agno,
Nec queritur lactens cùm ſibi porca datur.

Pecoris etiam fibras illi offerebant, viâ Latinâ, ad ſextum ab Urbe lapidem, ex ejusdem [1] teſtimonio; & pulmones Gallinarum. Prudentius adverſus Symmachum:

—— Lapis illhic
Si ſtetit antiquus, quem cingere ſueverat error
Faſciolis, vel gallinæ pulmone [2] rogare;
Frangitur, & nullis violatur Terminus extis.

Ubi vides *Lapidem* etiam Terminum vocari quemadmodum λίθον à Dionyſio. potiſſimum enim è lapideâ materiâ compoſitus. Unde & Theophraſtus Characterib. Ethic. περὶ δεισιδαι-

1 Ibidem. 2 *Rigare* emendat Giſanius in Indice Lucretiano.

σιδαιμονίας· Καὶ τῶν λιπαρῶν λίθων, τῶν ἐν ταῖς προόδοις, παριὼν, ἐκ τῆς ληκύθου ἔλαιον καταχεῖν. qui λιπαροὺς rectè appellat λίθους, quia ex Siculo Flacco, Apulejo, Clemente Alexandrino, Minutio Felice, Concilio Africano Can. LI. aliis, ſatis liquet eos lapides unguento ſive oleo imbui à defodientibus, ſacrificantibus, & prætereuntibus ſolere. quorum teſtimonia, quia jam antè vulgata ſunt omnia, lubens omitto. Ideò autem frequentiùs è lapide Terminus factus, quod ſaxum illud eſſe creditus, Saturno Deorum antiquiſſimo à Curetibus, nato Jove filio, oblatum (βαίτυλος illi nomen apud Heſychium;) idque à Jove ob rei geſtæ memoriam in Parnaſſo monte collocatum volunt; qui βαίτυλος deinde τέρμων appellatus eſſet, ὁ τῶν τερμόνων φύλαξ θεός· Unde Virgilianum iſtud de Termino Capitolino; quod ſuprà ponebamus:

—— *Capitoli immobile* SAXUM.

exprimere enim voluit τὸν λίθον Græcorum: quo nomine ἁπλῶς ipſi Termini apud illos cenſebantur. Niſi fortè de univerſo monte id malimus pronunciatum: ut ſuprà dicebamus. E ſtipite etiam & ligno Terminos aliquando defixos præter Gromaticos ſcriptores, Ovidium,

dium, Lactantium, Apulejum, locus etiam Tibullianus fidem facit è libro I:

Nam veneror seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florea serta lapis.

sed de Termino heic terminus esto. Alia erat Ædicula JUVENTATIS intra cellam (ut è Plinio ostendi) Minervæ constituta. JUVENTATIS (inquam) speciosi Numinis, & nominis sui εὐφημίᾳ plurimùm Romuli nepotibus celebrati. eam alii *Horam* Deam, alii *Heben* diversis omninò sententiis appellant. illam Quirini Conjugem & *Herciliam* * ante ἀποθέωσιν vocatam volunt; I hanc & fortissimi illius Alcidæ filiam, & Jovis pocillatricem, mox Catamiti Phrygii ministerio submotam. Romani ejus nominis non una terminatio est. *Veteres enim* (ait Acro, sive quisquis est Horatii Scholiastes) *Juventus, & Juventas, & Juventa dixerunt.* Distinguit significatione Nonius, apud quem ita legi: *Juventus & Juventa & Juvenilitas hoc differunt: Juventus, juvenes: Juventa, ætas ipsa: Juvenilitas, quod ὁρμὴν vel πάθος Græci vocant.* nec absurdè quidem, etsi Auctores

* Hersiliam scribunt omnes.

I Agel. lib. 13. cap. 21. Agrætius in Gloss. Homer. Iliad. ε.

res aliter usurpent. Communiùs tamen JUVENTAS apud scriptores ipsa Dea appellata. ut M. Tullium in I. de Naturâ Deorum: *At Poëtæ quidem ambrosiam, epulas comparant, & aut* JUVENTATEM *aut Ganymedem pocula ministrantem.* & VerrI abbreviatorem, cùm ait; JUVENTATIS *sacra pro muneribus sunt instituta.* & Agrætium in Glossis: *Juventus ipsa hominis ætas,* JUVENTAS *Dea* HBH, *ut Græcis dicitur.* Unde Horatius lib. I. ad Venerem:

Et parum comis sine te Juventas.

Pro ætate tamen hanc vocem Lucretius etiam Virgiliusque usi. ille lib. V. cùm ait:

Tum demùm pueris ævo florente Juventas
Incipit.

hic in VIII. Æneid. isto versu:

Tum mihi prima genas vestibat flore Juventas.

Numi veteres JUVENTUS, & JUVENTAS, & JUVENTA variè inscriptum habent apud Antonium Augustinum [1], cum expresso ejus Divæ simulacro, quæ sic fere depingitur, ut ex capedunculo aut acerrâ tura odorifera aræ fumanti inspergat, quòd illi odoribus solitum

1 Dialogo de Numism.

à juventute ſacrificari, quando jam veſticipes facti barbæ præmetiva poſuerant. Inde *Juvenalia* huic Deæ celebrata, cùm barbam Nero primùm attondiſſet. quorum Tacitus, Suetonius, Dio, & Xiphilinus ejus breviator meminêre. quæ Gordianum deinde Cæſarem *per multas Italiæ civitates, toto quatriduo* æmulatum auctor eſt [1] Capitolinus. quin & privatim annis ſingulis à juventute aulicâ renovata, LUDIQ. PRIVATI vocitati. ut ex Juliani Cæſaris Miſopogone, & Sidonî Panegyrico Lipſius obſervavit, doctiſſimo [2] in Tacitum commentario. Nos verò ipſi de Barbæ ac Capillorum conſecratione, altera Syntagmatis hujus parte, pleniùs dicemus.

Sed numquid & Mars bellorum ille præſes ac Genius unà cum pacatis his Numinibus in Capitolio cultus? ita verò aſſerere videtur è noſtris Auguſtinus lib. IV. [3] de Civit. his verbis: *Nullo modo omninò ſi conſuleretur faceret Juppiter quod ei fecerunt tres Dei Mars, Terminus, & Juventas, qui majori & Regi ſuo nullo modo cedere voluerunt.* & alibi apertiùs: *Capitolium ita conſtructum eſt ut etiam iſti tres eſſent,*

1 In Gordianis. 2 Ad Ann. 14.
3 Cap. 24.

essent, & hoc etiam vix homines doctißimi scirent. Sed quia nullus antiquorum fidem huic rei adstruit, trepidè viro sanctissimo adsentio. Scio quidem *ædiculam* illi votam [1] à T. Tatio, sub nomine *Quirini*; ejusque *Galeam* [2] in Sacrario Capitolino adservari solitam; sed de contumaciâ adversus Augurales preces nihil usquam memini me legere. In postremis autem verbis illud Augustinum reor voluisse, Terminum & Juventatem occultos potius in Capitolio, quàm cultos fuisse, juxta majestatem Numinum maximorum. alioquin satis cuiquam vel è plebe notum fuisse suspicor, eorum Sacella ambitu Capitolii contineri; ut suprà probavimus.

1 Varro de L.L.
2 Dio lib. 41.

CAPUT XV.

Faſtigium *in Templis quid ſit. ornari ſolitum* ſignis, clupeis, cælatura, inauratione. Quadrigæ fictiles Summani *olim in Capitolio: poſtmodum in* æreas aut argenteas inauratas *mutatæ. quis ille* Summanus. *Quadrigæ albæ Jovi ſacræ.* Clupea *unde ſic dicta: ea duplicia,* Votiva, *aut* Honoraria. *unde* Faſtigia Plaſtica: *Plinius emendatus. Templum cum ejuſmodi ornatu è veteri gemmâ.*

Abſoluto hactenus Jovis Opt. Max. Templo Faſtigium imponamus, neque enim ſine illo perfecta eſſe opera vel proverbium teſtatur. *Faſtigium* autem (ni fallor) in Templo appellabant τὴν ὀροφὴν, ſive altitudinem ſuperiorem frontiſpicii, in acumen trigonum ſurgentem: noviſſimè apponi ſolitam: quam M. Tullius III. de Oratore, *in Capitolio, cæteris-*

terisque Templis, *non tam venustatem, quàm necessitatem fabricatam* scribit. sed ingenioso artificum commento ista quoque accessit posteà, cùm fastigia Templorum *signis, clupeis, cælaturis, inaurationibus* decoratum irent. nam & fictilia primùm signa fastigio Capitolino imposita, testantur *Quadrigæ Fictiles* Varroni 1, Plinio 2, & Plutarcho 3 memoratæ. *quæ in fornace dum coquerentur, excrevisse* non sine miraculo, & magnâ vicinorum invidiâ, iidem tradiderunt. testatur & *Summanus fictilis* iis impositus: *cujus caput de cælo ictum, cùm nusquam inveniretur, Haruspices in Tiberim id depulsum esse dixerunt*: auctore Cicerone. 4 Cur autem Summano (id est, Plutoni) Quadrigæ attribuerentur caussam eam esse veram quidam 5 putant, *quod aër esse crederetur*: tum *nocturna illi fulmina attribuerentur* (auctoribus Plinio 6 & Sext. 7 Pompejo) quorum celeritatem quadrijugo equorum cursu volebant exprimere. Arnobius lib. v. ubi de raptu Proserpinæ: *Emicuit* SUMMANUS *è terris curru qua-*

 driju-

1 Apud Plin. lib. 35. 2 Lib. 29. cap 2.
3 In Poplicola. 4 1 de Divin. & alibi.
5 Phurnutus & Martianus lib. 2. de Nupt.
6 Lib. 2. cap. 52. 7 in *Dium Fulgur* & *Provorsum fulgur.*

drijugo vectatus. Jugalium ejus nomina Claudianus proponit lib. I. dicti argumenti:

> ORPHNAEUS *crudele micans*, AETONQUE *sagittâ*
> *Ocyor, & Stygii sublimis gloria* NYCTEUS
> *Armenti, Ditisque notâ signatus* ALASTOR.

Dictus autem SUMMANUS *quasi Summus Manium* à Martiano II. de Nuptiis Philologiæ. unde in veteribus inscriptionibus utroque nomine interdum adpellatus: PLUTO. SUMMANUS. Dubitare tamen videtur Naso [1] cui Deo cognomen istud ritè tribuendum sit. sic enim ille, ubi de dedicatione Ædis Summani, ad Circum:

> *Reddita (quisquis is est) Summano Templa feruntur,*
> *Tunc cùm Romanis Pyrrhe timendus eras.*

Jovem [2] videtur adpellare abbreviator Livii in Epitomê lib. XLII. *Cùm* (ait) *inter alia prodigia fulmine dejectum esset in Capitolio Jovis signum, caput ejus per aruspices inventum,* quæ

1 Fastor. lib. 6. ad d. XIII. Kal. Jul.
2 Et Homer. *διὰ καλαθχένιον*: *
* Voluit *Δία καλαχθόνιον*.

quæ res copiosè narrata de Summano apud M. Tullium in libris ſapientiſſimis de Divinatione. *Jovem* etiam vocat (ni fallor) ipſe Livius lib. x. his verbis: *Cn. & Q. Ogulnii, Ædiles Curules aliquot fœneratoribus diem dixerunt. quorum bonis mulctatis, ex eo quod in publicum redactum eſt ænea in Capitolio limina, & trium menſarum argentea vaſa, Jovemque in culmine cum quadrigis poſuerunt.* Argento igitur fictiles illæ veterum Quadrigæ mutatæ: quemadmodùm aûreas, aut æreas inauratas in Apollinis Palatini Propertius [1] videtur agnoſcere.

Auro Solis erat ſupra faſtigia currus.

Solemne autem fuiſſe hujuſmodi vel Quadrigas, vel Sejuges, & ferè ex mulctatitiâ pecuniâ, Jovi poni, ex eodem Livio apparet variis locis, ut in iſto lib. xxix. *Quadrigæ aureæ in Capitolio poſitæ ab Ædilibus Curulibus C. Livio & M. Servilio Gemino.* & altero lib. xxxv. *De mulctâ damnatorum Quadrigæ inauratæ in Capitolio poſitæ, in cellâ Jovis, ſupra faſtigium ædiculæ: & duodecim clypea inaurata.* quem locum accuratè poſtea [2] diſcutiam. tertio denique ex lib. xxxviii. *Eo anno in ædem Herculis ſignum Dei ipſius ex De-*

1 Lib. 2. Eleg. 31. 2 Vide cap. 33.

cem-virorum responso, & Sejuges in Capitolio aurati ab Cn. Cornelio positi. CONSULEM DEDISSE *inscriptum est.* caussam verò hujus dedicationis eandem esse puto quæ in Summano: quam respexit venustissimè Horatius ubi de Jove:

Quandoque per purum tonanteis
Egit equos, volucremque currum.

Plautus etiam noster in Amphitryone Scænâ primâ:

— *ME. Quadrigas si nunc inscendas Jovis,*
Atque hinc fugias, ita vix poteris effugere infortunium.

Quadrigas autem albas Jovi potissimùm sacras fuisse auctor est Plutarchus in Camillo; unde Διὸς ἵπποι vocari consueti; & Q. Curtius Rufus lib. 3. Historiæ Alexandri in adparatu Darii; Quadrigarum etiam cursus annuus [1] in Capitolio celebratus (ut altero Syntagmate dicemus) ad exemplum Elæi certaminis. Hujus victorem, ἐπὶ τοῦ λευκοῦ ζεύγου *, ad vicina opida circumferri solitum ex [2] Suetonio liquet, in Nerone, quem Neapolim

1 Plin. lib. 27.

* An non præstabat *albis equis* dicere cum Suetonio, quam male Græcissare? Voluit opinor ζεύγους.

2 Cap. 25.

polim hujusmodi equis ingressum tradidit, more Hieronicarum. quod & Tyranni olim in Græcia usurpare consueti; unde amarulento nomine λευκόπωλοι à Tragico 1 vocati: quasi divinos honores ambitiosè nimis sibi usurpantes. Præter Quadrigas illas Jovis Summani, alia etiam signa Templi Fastigium ornâsse credo, Tuscanico 2 ritu. nam si in aliis passim minus celebribus id factum, quantò magis in augustissimo illo & sumptuosissimo Capitolio: quod (secundum Strabonem 3) *ubi quis adspexisset facilè omnia alia oblivione deleret*: tantumque cæteris omnibus *praecelleret*, 4 *quantum divina mortalibus* solent anteferri? Plinius certè hujusmodi signa agnoscit in æde (quam diximus) Apollinis Palatinâ, præstantissimorum artificum filiorum Anthermi. & in Pantheo Agrippæ: *Ubi*, ait, *in fastigio posita signa probari inter pauca operum. sed propter altitudinem loci minus celebrata.* Noti etiam ex Macrobio, *Tritones cum buccinis fastigio Saturni ædis superpositi*: & alia quoque alibi signa. In Capitolio autem (vero judicio) *Victoriæ* fuerunt in acroteriis ejus Templi conspicuæ. *Volantia* enim *signa*

 no-

1 Eurip. in Herc. Furente. 2 Vitruv. lib. 3. c. 2.
3 Lib. 5. 4 Amm. Marcell.

notat Claudianus in descriptione Capitolii, Panegyrico [1] ad Honorium. & quid aliud, quæso, quam alata Victoriarum simulacra, quæ in aliarum etiam Ædium culminibus Romæ sic spectata? sed nunc Claudiani verba delibemus, diffusiùs alibi ea propositurí:

—— Juvat intra tecta Tonantis
Cernere Tarpejâ pendentes Rupe Gigantes:
Cælatasque fores, mediisque volantia signa
Nubibus.

describit enim Poëta augustissimum Capitolii ex aulâ Cæsaris Palatinà prospectum. quem inprimis conspicua illa Fastigii ornamenta augustiorem reddebant. Nos ea Capitolino spectatori non ex Claudianicis tantùm versibus, sed Numo etiam veteri argenteo conspicienda exhibebimus. Diximus & *Clypeis* in fastigio datum locum quò venustas major accederet. Eæ imagines (ut Lipsio [2] videtur) rotundæ quædam erant, & ad speciem scuti bellici ex ære, argento, auro efformatæ: ἀπὸ τοῦ γλύφειν, aut γλύπτειν, Plinio [3] sic dictæ, *non (ut perversa Grammaticorum subtilitas*

1 In 6. ejus Consulat. 2 In 2. Ann. Taciti.
3 Lib. 35. cap. 3.



Æ



tilitas voluit) à cluendo. Caper tamen Grammaticus [1] inter *Clupeum* & *Clipeum* sic distinguit, *ut illud imago sit, iste autem ἄσπις.* Unde Trebellius, in Claudio, Grammaticos vereri Censores videtur, cùm ait: *Illi Clipeus aureus, vel (ut Grammatici loquuntur) Clupeum aureum Senatus totius judicio in Curiâ conlocatum est.* & ipse D. Hadrianus, Oratione XII. apud Sosipatrum, in *Validissimè*: *A vobis P. C. peto, & validissimè impetratum cupio, ut proximè imaginem Augusti argenteum potius Clupeum, sic ut Augusto, ponatis.* Quamquam non hujusmodi imagines, sed scuta potiùs bellica, imaginibus insignita, in fastigio Ædis spectabantur. quod inventum Pœnorum fuisse auctor est Plinius [2], qui *ex auro primùm factitâsse eos* scribit *& Clypeos & imagines, secumque in castris tulisse.* qualem, victis Pœnis, *Asdrubalis* invenit Q. Martius: *isque clypeus supra fores Capitolinæ ædis usque ad incendium primum fuit. in Templo* fuisse eum mavult Livius [3], *Marcium* adpellatum, sed *argenteum pondô centum & triginta octo*: cum eadem Pœni Ducis imagine. Potuit & inventum Hebræorum

1 Videtur & Plin. apud Sosipatrum.
2 Ibidem. 3 Lib. 25.

rum esse: (ut me V. CL. Dionysius Villerius per litteras admonuit) cùm Cap. IV. Canticorum Salomonis legamus: *Sicut Turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium.* ad quem locum multa Franciscum Moncejum Atrebatem, qui eum librum Poëticâ Paraphrasi illustravit, idem monuit adnotasse. Videat Lector cui malit adsentiri. Hujusmodi autem multos in Capitolio fuisse, è variis (ut opinor) Triumphis dedicatos, argumento est idem Plinius, libro notato: *Majorum quidem nostrorum tanta securitas in eâ re adnotatur, ut L. Manlio Q. Fulvio Coss. anno Urbis* IↃ. LXXV. *M. Aufidius*, TUTELAE CAPITOLII REDEMPTOR, *docuerit Patres* ARGENTEOS *esse* CLYPEOS, *qui pro Æreis jam aliquot per lustra aßignabantur.* O simplicitatem castioris illius ævi, quamque ut rem memorabilem Plinius meritò chartis illevit! Ad hujusmodi consuetudinem clypeos aliaque arma in Templo dicandi Virgilius respexit lib. VII. de Regiâ Latini, quem locum sacrum esse vult:

Multaque prætereà sacris in postibus arma:
Captivi pendent currus; curvæque secures,

Et cristæ capitum; & portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis.

Quamquam & Honoraria istiusmodi ac Votiva in Templis non rarò posita, ut ex pecuniâ mulctatitiâ, quâ ferè usi in sacros usus. Liv. lib. xxxv. de M. Æmilio Lepido & L. Æmilio Paullo Ædilibus: *Multos pecuarios damnârunt. ex eâ pecuniâ clypea inaurata in fastigio Jovis Ædis posuerunt.* & lib. xxxIIx: *Duodecim clypea aurata ab Ædilibus Curulibus P. Claudio & Ser. Sulpicio Galbâ sunt posita ex pecuniâ, quâ frumentarios ob annonam compressam damnârunt.* frequenter æquè ex Voto Publico aut Privato. Unde Virgilianus Interpres in II. Æneidos: *In Capitolio fuit clypeus consecratus, cui inscriptum erat:* GENIO. URBIS. ROMAE. SIVE. MAS. SIVE. FAEMINA. Exstant & numismata Augustéa, ubi inter binas Laurus aut totidem signa Militaria, sed & sigillatim nonnunquam, Dona ista spectantur; cum inscriptione: S. P. Q. R. CL. V. aut CL. V. quas Notas explicabat V. C. Villerius (in cujus Muséïo spectantur) CLYPEI VOTIVI. favente omninò Minervâ. hoc etiam adjungens puros illos esse, non anxiè

anxiè aut operosè elaboratos: quales Vulcanii isti apud Homerum aut Virgilium, cujus humanissimi Viri amœnitati, sicut & plura alia exquisitarum Elegantiarum, merito suo hoc deberi, agnoscere te mecum Erudite & Amœne Lector velim. Itaque cùm nimia istiusmodi Dona in Templo aut Porticibus, illi adjunctis essent, suoque numero faciem ejus deformarent, moris erat ea à Pontifice Max. amoveri aut concinniùs ordinari. suggerit idem Livius lib. XL. *M. Æmilius Lepidus Pont. Max. Ædem Jovis in Capitolio columnasque circùm poliendas albo locavit: & ab his columnis quæ incommodè opposita videbantur signa, amovit: clypeaque de columnis, & signa militaria affixa, omnis generis, dempsit.* [1] quod & Cæs. Augustum ex S. C. fecisse Dio adnotavit, ut veteribus Ornamentis, quasi contaminata ea essent, detractis ex Ægyptiacâ prædâ meliora & speciosiora reponeret.

Cælaturas etiam in fastigiis sacrarum ædium celebratas auctor est Plinius lib. XXXV. [2] *Dibutadis* (inquit) *inventum est rubricam addere, aut ex rubrica cretam fingere: primusque personas tegularum extremis imbricibus imposuit. quæ inter initia protypa* [3] *vocavit. postea idem ectypa*

1 Lib. 51. 2 Cap. 12. 3 Al. *prototypa.*

ectypa fecit. Hinc & fastigia Templorum orta, propter hunc plastæ appellari. quibus in verbis aliquid monstri subesse vv. planè cc. indicant, in queis variè extrema leguntur. nam in quibusdam est: *propter hunc plasta appellata.* in aliis: *p. h. plasticè appellata.* Lege levi mutatione: *plastica appellata.* videlicet à plasticâ arte & cælatura: ad distinctionem eorum quæ metalli fulgore essent imbuta. nam inaurata etiam fastigia ex eodem Plinio eruimus, loco citato: *Fastigia Templorum etiam in Urbe crebra, & municipiis, mirâ cælaturâ, & arte ævique firmitate certiora auro, certè innocentiora.* Prudenter igitur Vitruvius architectum suum jubet [1] *rationis plasticæ non esse ignarum.* cùm ejus usus multiplex tum esset in cælandis Templorum lacunaribus, ac fastigiis, & ædificiorum cameris. Hujusmodi autem cælaturas fecisse in Capitolio Turrianum Fregellis Etruriæ à Tarquinio accitum, artis [2] plasticæ gratiâ ex Varrone, Plinioque certò opinamur.

1. Lib. 1. cap. 1. 2. Ibidem.

CA-

CAPUT XVI.

Laquearia *in Capitolio* deaurata & sculpta. *Veterum querella de ambitiosâ illâ Magnificentiâ.* Tegulæ æreæ *ibidem Catulianæ* auro inductæ. *inde* Capitolia, aurea, aurata, micantia, fulgentia, fulva *appellata. Domitiani incredibilis in hanc deaurationem sumptus. in Christianorum Ecclesiis idem usurpatum.*

Fastigium Templorum Tectum & Laqueare consequitur, necessarium utrumque munimentum, & injuriæ tempestatum arcendæ, & eorum elegantiæ vel augendæ, vel conservandæ. Istorum quidem in Capitolio magnificentiam V. C. Justus Lipsius in [1] *Admirandis* suis ita nuper exsecutus est, ut nihil ferè dicendum nobis reliquerit. quia tamen non ibi tantum quæ dixit, merentur legi; & adjungi à nobis etiam aliquid possit Lipsio præter-

1 Lib. 3. cap. 5.

termissum ; institutum nostrum prosequemur. *Laquearia Capitolina* (teste Plinio, lib. XXXIII.) *post Carthaginem eversam primò inaurata sunt Censurâ L. Mummi* : inusitato antè magnificentiæ hujus genere. Tunc enim Romani nè in Templis quidem Deorum luxum adhuc ferebant, quem posteà ad viles parietes & cameras etiam transtulerunt. quâ de re insignis est querella Plinii lib. jam dicto [1], & Manilii in opere Astronomico; ubi de illis qui sub Virgine nascuntur :

[2] *Sculpentem faciet sanctis Laquearia Templis,*
Condentemque novum cælum per Templa Tonantis.
Hæc fuerat quondam Divis concessa figura,
Nunc jam luxuriæ pars, & triclinia Templis
Concertant, tectique auro nunc vescimur aurum.

Fabiani quoque Papyrii Rhetoris, in Controversiis, apud [3] Senecam Patrem : *Ad delitias dementis luxuriæ lapis omnis eruitur, caduntur que gentium Silvæ : æris ferrique usus, jam auri quoque in exstruendis & decorandis do-*

1 Lib. 35. cap. 1. & alibi.
2 Lib. 5. 3 Lib. 2.

domibus. Unde etiam Lucanus in Templo Jovis Ammonis luxum iſtum Romanum acerbè reprehendit, cùm ait: [1]

— MORUMQUE PRIORUM
Numen ROMANO *Templum defendit ab* AURO.

De inauratis illis Lacunaribus intelligendus locus Ovidii 1. Faſtorum:

Cernis adoratis ut luceat ignibus æther,
Et ſonet accenſis ſpica Ciliſſa focis?
Flama nitore ſuo Templorum verberat aurum,
Et tremulum ſumma ſpargit in Æde jubar.

& Rutilii Numatiani, in Elogio Urbis Romæ:

2 *Confunduntque vagos delubra micantia viſus:*
Ipſos crediderim ſic habitare Deos.

Nunquid & Horatii, in Oraculo Junonis?

3 — *ſtet* CAPITOLIUM
FULGENS, *triumphatiſque poſſit*
Roma ferox dare jura Medis.

ſic videtur: niſi ad exteriorem Tecti inaurationem referre hæc poſtrema malis. cùm à Pli-

1 Lib. 9. 2 Lib. 1. Itinerar.
3 Lib. 3. Odar.

Plinio 1 ſcriptum ſit: *variè de* Q. CATULO *ætatem ſuam exiſtimaſſe*, *quòd* TEGULAS CAPITOLII AEREAS INAURASSET *primus.* Unde *Capitolia*, *Aurea*, *Aurata*, *fulgentia*, *fulva* veteribus appellata. Ut delicio noſtro Propertio, in iſto loco:

2 *Fictilibus crevere Deis hæc aurea Templa:*
Nec fuit opprobrio facta ſine arte caſa.

apertiùs apud Sidonium Apollinarem, in Panegyrico Majorani:

Et Regum aſpicient Capitolia fulva catenas.

& Sillium Baſſum Declamatorem in Controverſiis: 3 *Faſtigiatis ſuprà tectis auro puro fulgens prælucet Capitolium.* & Portium Latronem, in iiſdem: *Bella civilia aurato Capitolio geſſimus.* quod non ſine cenſoriâ aliquâ notâ Latroni pronunciatum: quaſi nimius ille luxus DIs etiam immortalibus diſpliceret. Ænei etiam in Capitolio tecti, auri nitore fulgurantis meminit Vetus Epigramma Florilegii, quod heic Lipſius, & nos alibi citavimus:

1 Εἶξον

1 Lib. 33. 2 Lib. 4.
3 Lib. 1. Cont. 6. & 2. Cont. 1.

[1] Εἶξον ἀρειοτέροισι χάρεις Καπετωλίδος αὐλῆς,
Ει καὶ χαλκείων ὀρόφων ἀμαρύγματα πέμπεις.

De quo Procopius obſervavit , *Gizerichum Regem Vandalorum cùm alia decora Romanæ Urbis ſecum in Africam aſportaviſſe ; tum & partem Tegularum Jovis Capitolini Inauratarum dimidiam.* Ejuſmodi Tegulas æreas, quas è Capitolino Templo Honorius Pontifex in Vaticanum tranſtulerat, tunc vidimus, quùm ea Baſilica fabricandæ novæ Ædis cauſsâ ad fundamenta nuper dejecta eſt. [2] Eas etſi è Catuli *clariſſimo* illo *pulcerrimoque monimento* ſuperâſſe non exiſtimem, crebris incendiorum ruinis omnia illhic ſenſim deformantibus; ad priorum tamen exemplum ſubſtitutas à FLAVIIS Cæſſ. poſtremis Templi reſtauratoribus fuiſſe putem, ut de Domitiano adfirmare videtur Auſonius [3], hoc verſu:

——— *poſtremus & ille*
AUREA *qui ſtatuit* CAPITOLI CULMINA *Cæſar.*

Hunc certè Principem tantum impendiſſe in

1 Lipſ. ibidem. 2 Cic. Verr. 10.
3 In Encom. Narbonis.

in ſolam deaurationem Capitolii [1] Plutarchus ſcribit, ut *duodecim millium*, & quod excurrit, *Talentorum ſummam* ejus ſumptus æquarent. *ſummam* (inquit idem ſcriptor) *ad quam nullius privati hominis, etiam ditiſſimi, facultates attingere valerent.* Ea nobis eſſet ex ſupputatione V. CL. Juſti Lipſii, *ſeptem, & ampliùs, milliones.* O portentoſam magnificentiam! & de quâ juſtiſſimè æqualis illorum temporum Poëta exclamat: [2]

Quantum jam Superis, Cæſar, cæloque dediſti
Si repetas, & ſi creditor eſſe velis;
Grandis in ætherio licet auctio fiat Olympo,
Coganturque Dei vendere quidquid habent;
Conturbabit Atlas, & non erit uncia tota
Decîdat tecum quâ pater ipſe Deûm.
Pro CAPITOLINIS *quid enim tibi ſolvere* TEMPLIS;
Quid pro Tarpeiæ frondis honore poteſt?
Quid pro culminibus geminis Matrona Tonantis?
Pallada prætereo: res agit illa tuas.

Quid

1 In Poplicola. 2 Martial. lib. 9.

Quid loquor Alcîdem, Phœbumque, piosque Lacônas:
Addita quid Latio FLAVIA TEMPLA *polo?*
Exspectes & sustineas, Auguste, necesse est:
Nam tibi quod solvat non habet arca Jovis.

Plura si cui libuerit de hujusmodi luxu veterum in Laquearibus & parietibus inaurandis collecta videre, commodè aditurus est libellum eruditissimum Joannis MeursI c. XII. de Luxu Romanorum. & gratiam mihi ob indicium debebit. Illud tantum οὐδ᾽ πάρεργον hîc jam libet adtexere, in Christianorum olim Ecclesiis exornandis hujus quoque metalli pretiosioris adhibitum usum. Exemplo scilicet Magni Constantini: cujus in hac re pietatem ac munificentiam Eusebius [1] disertè laudavit. Hieronymus de Ecclesiis Romanis, in Epitaphio Fabiolæ: *Sonabant Psalmi* (inquit) *& aurata tecta templorum reboans in sublime quatiebat: Alleluja.* & Sollius Sidonius, in descriptione Novæ Ecclesiæ Lugdunensis: [2]

In-

1 Lib. 3. ejus Vitæ cap. 35.
2 Lib. 2. Epist.

Intus lux micat, atque bracteatum
Sol sic sollicitatur ad Lacunar,
Fulvo ut concolor erret in metallo.

Prudentius item de Templo D. Fructuosi, in arce Tarraconensi:

Hinc aurata sonent in arce tecta,
Blandum Litoris exstet inde murmur:
Et carmen freta feriata pangant.

& idem scriptor sæpe alibi. Quin & hodiè in celebrioribus Orbis Christiani Templis, ac præcipuè Vaticano illo PRINCIPUM APOSTOLORUM, quod cætera omnia majestate suâ longè vincit ac superat; Dei Opt. Max. honori ac Divorum ornamento, justè & meritò id videre licet usurpatum.

CAPUT XVII.

Limina æLimina ænea *ibidem, & forte etiam trabes. Locus Virgilii examinatus: verba Servii notata.* Fores cælaturâ, & laminis aureis *obtectæ: variaque illarum materia. De cælaturis Virgilii & Propertii loci allati.* Pavimentorum *alia alibi genera: sed in Capitolio* ſcalpturatum.

Quid, quòd Romanis ſatis non fuit æneo tegumento Jovem obvelâſſe niſi æs etiam calcandum [1] pedibus ſubjicerent, quà Jovem adirent? Scribit enim Livius lib. x. *Fœneratores aliquot mulctatos, & ex eo, quod in publicum redactum eſſet, Ænea in Capitolio Limina Ædiles poſuiſſe.* Eò reſpexiſſe credo ſacratiſſimum Vatem, cùm in Templo Junonis Carthaginienſis Romanum iſtud ſummum adumbraret: [2]

1 Vide Plin. lib. 34. cap. 3.
2 1. Æneid.

Ænea cui gradibus surgebant limina, [1] nexæ —
que Ære trabes, foribus cardo stridebat aënis.

quo in Loco, ait Servius, *per æneas trabes putarunt quidam Templum χαλκοστὲν significari*; quale videlicet Pallados χαλκιοίκȣ apud Lacedæmonios fuisse olim scribit Pausanias: aut in Urbe Româ ædes Jani bifrontis, aut Concordiæ, quarum Plinius, Victor, & Procopius meminêre. Ego tamen ad consuetudinem suorum temporum respexisse Poëtam credo, quibus Architecti solerent æneas etiam trabes Deorum tectis imponere. quales spectare me Romæ aliquando memini in Pronao celeberrimo Panthei M. Agrippæ: iis scilicet exstructo temporibus, quo de Æneâ suo Virgilius ista commentabatur. Sanè & hujusmodi Trabes in Capitolio etiam fuisse ferè ausim dejerare; etsi testimonia, quibus id firmem, certa non habeo. Conjecturâ tamen quasi certâ moveor ab incendio illo postremo, quo Catulianum Templum funditus eversum est. cui incendio magna præbuisse fomenta credebantur ligneæ trabes [2], ád sustentandam Templi aquilam olim

1 Al. *nexæque,* 2 Corn. Tac. 3 Hist.

olim à majoribus adhibitæ. exiſtimo enim vel Domitiani patrem, dum Capitolium inſtaurat, vel [1] ipſum Domitianum, tot cladibus admonitum, tutiſſimum (quà fieri potuit) ab omni incendio Capitolium inſtaurâſſe. Quare autem *ænea limina* Virgilius Templo ſuo adfinxerit, aliam rationem probam non invenio; etſi Scholiaſtes Servius varia commentetur [2]. *quòd æs videlicet religioni ſit aptius*: idque probat exemplo *Flaminus Dialis*, *qui æreis cultris tonderetur.* aut *quia tempore, quo hæc geſta finguntur, aureum ſæculum eſſet*; *aut quia æs vocalius cæteris metallis*; & quæ ibi ſequuntur non abſimilis farinæ. Adeò mirum eſt Romanos illos homines in rebus Romanis tam pueriliter interdum hallucinatos. Nam & ea quæ de cardinibus æneis Capitolii ſubjungit, æquè frigida videntur. neceſſario enim legiſſe eum exiſtimo:

3 —— *foribus cardo ſtridebat aënis.*

cùm adnotaverit: *cautum fuiſſe poſt proditum hoſtibus à Tarpeja Virgine Capitolium, ut ærei cardines fierent, quò ſtridor poſſet aperta oſtia omnibus indicare*; meliùs tamen vulgata ex-

1 Marian. Scotus id adſerit in rebus Domitiani.
2 In exemplarib. P. Danielis & ſched. Fuldenſ.
3 Ibidem.

emplaria habent, *ahenis.* ut fores æneas intelligat in Capitolio fuisse. quas deinde in aureas, hoc est, crassis laminis aureis obductas posteritas vertit. scribit enim Zosimus, *in magnâ pecuniæ inopiâ mandasse Stilichonem ut fores in* [1] *Capitolio Romano, quæ auro magni ponderis erant obductæ, laminis iis spoliarentur. Cùm autem qui hoc facere jussi erant, id agerent; in parte forium scriptum reperisse* : INFELICI. REGI. SERVANTUR. Eas autem laminas egregiâ cælaturâ fuisse conspicuas Claudianus videtur ostendere, in VI. Honori Consulatum:

——Juvat intra tecta Tonantis
Cernere Tarpeja pendentes rupe Gygantes,
CAELATASQUE FORES.

cujusmodi cælaturam Poëta Princeps etiam descripsit III. Georgicorum, in Templo CAES. AUG. à se destinato:

In foribus pugnam ex auro, solidoque elephanto
Gangaridûm faciam victorisque arma Quirini.
Atque hîc undantem bello, magnumque fluentem

Nei-

1 Lib. 5.

Neilum, ac navali surgenteis ære Columnas.
Addam Urbeis Asiæ domitas, pulsumque Niphatem,
Fidentemque fuga Parthum, versisque sagittis:
Et duo capta manu diverso ex hoste Trophæa:
Bisque triumphatas utroque ab litore genteis.

Et Propertius noster in Templo Apollinis Palatini, 1 versibus à Josepho Scaligero emendatis:

Auro solis erat supra fastigia currus,
Et valvæ Libyci nobile dentis opus.
Altera dejectos Parnaßi vertice Gallos;
Altera mœrebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem Deus ipse, interque sororem,
Pythius in longâ carmina veste sonat.
Illîc adspicias scopulis hærere sorores,
Et canere antiqui dulcia furta Jovis, &c.

quibus in locis videre est nonnunquàm ex ære solido, interdum ex auro & ebore, aliquando ex ebore solo valvas Templorum nobilium compositas, & operosis nobilibusque

1 Lib. 2. Eleg.

cælaturis, in variâ materiâ, variè fuisse adornatas.

Nec minor elegantia in Pavimentis quæsita est *tessellatis*, *scalpturatis*, *lithostratis*, *asarotis*, sive *pictis*. quæ vel segmentis pretiosi marmoris, vel laterculorum aut vitri, lignive tessellis compaginata, vel coloribus amœnissimis imbuta intuentium oculos morabantur. quorum differentiam Plinius lib. XXXVI. c. XXV. & Vitruvius lib. VII. c. I. diligentissimè explicârunt. Priùs autem moris fuerat Græco ritu ædium pavimenta depingere. *vermiculata* deinde aut *scalpturata* invaluêre: quæ à *Musinis* * aut *Museacis* nihil differre opinati sunt viri doctrinâ & eruditione clarissimi. Tale in Jovis Capitolini Æde factum auctor est (ubi diximus) Plinius. idque *post tertium Punicum bellum initum*. 1 ut miremur in Urbe adhuc parum comi tantum Deorum ornandorum studium ac relligionem.

* Voluit *Musivis*.
1 Circa annum V. C. DC. IV.

CA-

CAPUT XVIII.

Fictilis Juppiter *primùm in mediâ cællâ positus: inde nominatus, & miniari solitus. Hercules* Materiarius. *Juppiter* Minianus. DI *etiam alibi miniati, & Æthiopum Proceres, ac Triumphantes. Deinde* Eburneum *videri Jovem fuisse: postremò* Aureum. *PliniI, Martialis, ServI & aliorum sententiæ examinatæ. quis Juppiter* Lapis, *& unde per eum jurari cœptum.*

Templo jam (ut anteà diximus) substructo: hoc est, Rege Tarquinio circa Templi suggestum adhuc occupato; de Simulacro ejus Numinis, cui Templum dedicandum esset, maturè cogitatum est. M. Varro ejus rei auctor est apud Plinium lib. xxxv. [1] TURRIANUS (inquit) *à Fregellis accitus, cui locasset Tarquinius Priscus effigiem* JOVIS *in*

1 Cap. 12.

in Capitolio dedicandam. FICTILIS *is fuit: atque ideò miniari solitus.* Sic enim legendum eum locum puto ex editione veteri Aldinâ, quamquam vulgata illa: *atque ideò nominari solitus*, non etiam adeò displiceant. Sensus enim esset Jovem illum à figulinâ FICTILEM vulgò dictum. quò allusisse videatur Satyricus Aquinas:

> *Hanc rebus Latiis curam præstare solebat*
> FICTILIS, *& nullo violatus*, JUPPITER, *auro.*

deque eodem Jove Ovidius in Fastis:

> *Juppiter exigua vix notus stabat in Æde,*
> *Inque Jovis dextra* FICTILE FULMEN *erat.*

quamquam dubitem an de Numæ Pompilii antiquissimo Jove non id potiùs capiendum, cujus Templi structura (ut antè diximus) humilis, exigua, barycephala erat. [1] Dictus igitur FICTILIS in populo JUPPITER, quemadmodum HERCULES etiam Romæ MATERIARIUS: quia è materia, sive ligno ab eodem artifice olim compositus. Certior tamen omninò lectio illa videtur Aldina. Notum enim cuique paullo humaniori Deorum

1 Plin. ibid.

rum simulacra Romæ, & Jovem maximè, festivis diebus [1] minio illini solere. testatur hoc inter cæteros Plinius lib. XXXIII. c. III. è Verrio (nî fallor) Flacco, additque, *ad suum usque ævum Minium addi in unguenta Cœnæ Triumphalis, & à Censoribus miniandum Jovem inprimis locari.* Solebant enim Triumphantes, inter cætera Jovis insignia, & Miniationem usurpare: *sicque Camillum triumphasse* apud eundem scriptorem Verrius adfirmat. Dictus inde JUPPITER ille, MINIANUS, apud Ciceronem, in epistolis [2] ad Papyrium. quemadmodum & *Minei* [3] quidam cognominati, *à minia faciei rubedine.* Ita Liberum patrem apud Græcos pingi etiam solitum, auctor est Pausanias, in Achaïcis, cùm ait: Τȣ̃ Διονύσȣ ἢ ὑπὸ κινναβάρεως τὸ ἄγαλμα ἐςὶν ἐπηνθισμένον. alios etiam alibi Deos, Arnobius lib. VI. & Plutarchus in Ætiis Romaïcis. Æthiopum [4] quoque Proceres (credo quo divini aliquid habere viderentur)

1 Serv. in 10. Eclog. & Plutarch. in Ætiis. *
2. Lib. 9. ad Famil.
3 Auctor vitæ Martiani Capellæ.
4 Plin. ibid.
* Et huc aptiora ab eodem Servio ad eclog. VI. *Quod rubeus color deorum sit, unde & triumphantes facie miniata, & in Capitolio Jupiter in quadriga miniatus.*

tur) Minio tota corpora pingere consueverant. Sed Heroïcus ille & Divinus color, ad mollitiem hodie Gynæcei transivit ; neque Triumphales ampliùs vultus, aut Deorum simulacra, sed muliebres genas, & sequioris sexus lineamenta profanat. Ad Fictiles Deos revertor. *Hæ olim* (inquit Plinius) *effigies erant Deorum laudatissimæ : nec pœnitet nos eorum, qui tales coluerunt.* Putaverunt enim Romani tunc felicissimam fuisse R. P. [1] cùm *Relligiones piè magis colerentur, quàm magnificè;* cùm *Delubra Deorum Relligione, domos suas gloria decorarent* ; Inque eum sensum Philosophus etiam locutus est Consolatione ad Elbiam : [2] *Quorum tecta nondum auro fulgebant : quorum Templa nondum gemmis renidebant. Itaque tunc per* FICTILES *Deos Religiosè jurabatur. qui per illos juraverant, ad hostem morituri, ne fallerent, redibant.* Ut tamen aliquam speciem paupertatis in sacris reliquam haberent Romani, etiam *inter maximas opes non murrhinis, crystallinisque, sed fictilibus prolibavêre Synpullis.* teste Plinio, Appulejo, Arnobio, Juvenale, aliis : Τοιϛτοις (ut à Porphyrio alicubi dictum est) χαίρειν πεπῖστ-

1 Liv. lib. 3. Sallustius.
2 Et Epistol. 31. sub finem, & alibi.

πεπλασμένοι τὸ θεῖον· Mansêre igitur *lignea aut fictilia Deorum simulacra, in Delubris dicata, usque ad devictam Asiam.* [1] tunc res populi Romani opulentiores ornare Numinum suorum simulacra, & veterem sacrorum horrorem depellere persuaserunt. dicit enim Varro [2] apud Nonium: *Quid inter hos Joves intersit, & eos qui ex marmore, ebore, & auro fiunt; possumus advertere & horum temporum divitias, & illorum paupertates.* exemplo videlicet Græculorum: de quibus præter Plinium, Pausaniam, Cassiodorum, ita Lactantius [3]: *Simulacra ipsa & effigies Deorum, Polycleti, & Euphranoris, & Phidiæ manu, ex auro atque ebore fuisse perfectas.* Dentibus quidem elephantorum tam ingens pretium Græcia [4] fecit, ut videretur supra aurum ipsum & argentum extollere. Iovem enim Olympium, *quo nullum præstantiorem humanæ fabricatæ sunt manus* [5], Eburneum fuisse, & Palladis in Acropoli Atheniensi signum, & Iovem Cyzicenum, plurimaque alia præstantissima in eâdem terrâ Pausanias, [6] cum Pli-

1 Plin. lib. 34. 2 E libb. de vita P. R.
3 Lib. 2. cap. 4. 4 Pausan. & Cicero lib. 4 in Verrem 5 Valer. lib. 3. cap. 7. Quinctilian. lib. 12. cap. 10. Propert. lib. 3.
6 In Eliacis.

Plinio, auctor est. Apud Italos Hercules Tiburtinus ex ebore celebratus est, & Iuppiter, in æde Iovis Metellinâ, à [1] Prasitele factus, & noster (ut opinor) CAPITOLINUS. Quamvis ad vilia dein ministeria ebur etiam usurpatum, ut non immeritò conquestus sit Naturalis Historiæ auctor: [2] *A diis nato velut jure luxuria, eodem ebore Numinum ora spectata, & mensarum pedes.* adeò nihil in Divinis illis magnificum aut pretiosum, quin id profanus opulentiorum civium luxus continuò ad se traheret, & cottidiano usu velut pollutum usurparet. quò respexit facundè Eumolpus Petronianus:

Quæritur in Silvis Mauri fera, & ultimus Hammon
Afrorum excutitur, ne desit belua dente
In mortes pretiosa suas.

Eburneum etiam fuisse Capitolinum Iovem ad tempora usque Trajani * (quando nullus antiquorum certò quid super ea re tradidit) duplici suspicione permoveor ut credam. Primâ & præcipuâ, quod fictilia & lignea Deorum simulacra eburneis primùm mutata ad-

1 Alii *Pasitelem* vocant. 2 Lib. 12. cap. 1.

* Id tamen non probatur Alex. Donato lib. 2. cap. 7. credenti post Sullæ restitutionem aureum semper fuisse.

adfirmet [1] Plinius; Alterâ, nec minùs verosimili, ex loco isto Arnobiano, quo Olympium & Capitolinum Ioves comparat mordaci & Satyricâ quadam ratione: [2] *O utinam* (inquit) *liceret in simulacri alicujus medias introire pendigines! imò, utinam liceret* OLYMPIACOS *illos &* CAPITOLINOS JOVES *deducere in sua membra resolutos! omnesque illas partes, quibus summa concluditur corporum, discretas & singulas contueri!* Ecce quàm æquè utrumque videre optat in sua membra resolutum. hoc est, in eburneas laminulas, quibus summa corporum compaginata est, videre comminutum (certè hoc in metallis aut marmoribus commodè non fiat) quorum εἴδωλα non multis habent partibus constructam corporis superficiem, sed solidâ, unâ & continuâ materiâ fundatam. quemadmodum igitur ex ebore atque auro Olympiacus ille Iuppiter factus: ita & Capitolinus; cùm multa inter sese communia haberent: quod proximè ostendemus.

Dixi, *ad* TRAIANI *usque tempora.* nam is è solido primùm auro *Jovem*, *Junonem*, *Minervam* in Capitolio videtur posuisse. Eruere autem id videor è Martialis Epigram-

1 Ibidem. 2 Lib. 6. Disput.

grammate, lib. XI. *pro ſalute hujus ad Deos*, cùm ait: [1]

Scriptus es æterno nunc primùm Juppiter auro,
Et ſoror, & ſummi filia tota patris.

ubi fortè legendum: *ſculptus.* certè magnificentiæ ſummæ Capitolii Domitianici convenire videbatur, ut aurea etiam iſthic Deorum ſimulacra eſſent, cùm multa hominum inibi ſic ſpectarentur: ut ſuo loco dicemus. Statuæ etiam Aureæ in Capitolio Mártinus Polonus meminit, in libello Topographiæ Urbicæ: *In ſummitate* (inquit) *arcis Capitolii fuit Templum Jovis, in quo erat ſtatua aurea Jovis, ſedens in* [2] *Throno aureo.* idem quoque ſcriptor annotat in rebus Calixti Papæ *manum Jovis auream fulmine conliquefactam.* & Cæcilius Baldus, in Polycratico Salisbernenſis [3], ſic interrogat. *Quis enim Deorum ei parcat à quo ſe deceptum iri intelligat? quis non irruat in eum, qui aureos Jovis oculos eruit?* qui unde hæc hauſerint neſcio. adjuvari tamen eorum teſtimonio, non leniter, conjectura noſtra videtur. Admirari autem ſatis non poſſum (imò indignari) celeberrimi iſtius

1 Epigr. 5. 2 Vide ſequenti cap.
3 Lib. 3. cap. 14.

iſtius ſimulacri nullum uſquam autorem à Scriptoribus memorari : cùm aliarum in urbe ſtatuarum artifices ſatis diligenter nominaverint. Sed id temporum injuriæ magis fortaſſe imputandum , præ quâ non ipſorum modo artificum nomina, ſed præclariſſima quæque eorum monimenta ut perierint ; in Italiâ Græciâque univerſa factum videmus. illud quidem à Plutarcho obſervatum eſt , in libello de Iſide & Oſyride, Sullano incendio Jovis etiam ipſius ſimulacrum periiſſe. Verba ſunt : Ὁ δὲ Ζεὺς ὁ Καπετώλιος περὶ τὸν ἐμφύλιον πόλεμον ἐνεπρήσθη, καὶ διεφθάρη· aliter verò contigiſſe putat V. C. Petrus Fabri, [1] incendio Vitelliano, nimirùm ut Jovis Capitolini ſimulacrum medias inter flamas incolume ſervaretur. cujus rei fidem auctori ſuo relinquo. Subjungendum autem videtur οὐκ ἀσκόπως, quod à Servio Grammatico curiosè annotatum , ad Virgiliana verba :

—— & cæſa jungebant fœdera porca.

Fœdera (inquit) *dicta ſunt à porca , fœdè & crudeliter occiſa , nam cùm ante gladiis configeretur , à Fatialibus inventum , ut ſilice ſe-*

[1] Ex Philoſtrato, Apollonl ſui lib. 5. ubi tamen hoc non invenio , Æneid. 8.

feriretur : ea caussa , quod antiquum Jovis signum lapidis siliceni putaverunt esse. Sed quod tandem (si DIs placet) signum illud Iovis silicenum ? num Iovis Capitolini fictile antiquum , quod Fregellanus opifex TarquinI jussu confecit ? sed quæ tandem materiæ similitudo inter figulinam & silicem ? Ergo Plinius, Ovidius, Iuvenalis, Seneca falsi heic fuerunt qui unanimi sententia plasticum signum agnoverunt ? quin & agnoscit ipse Servius , si verborum ejus sensus accuratè pensitamus. Ait enim non re verâ silicem aut silicenum fuisse antiquum Iovis signum, sed simpliciores illos, colore figulinæ fortè deceptos, tale esse existimâsse. Ex quâ (crediderim) opinione fluxit mos JOVEM LAPIDEM adjurandi , cùm Tarpejum fictilem intelligerent. Annæus Seneca, verbis iterùm positis, de primigeniâ Romanorum simplicitate: *Tunc per* FICTILES DEOS *relligiosè jurabatur. qui per illos juraverant, ad hostem morituri, ne fallerent , redibant.* Antiquissimum autem & sanctissimum P.R. fuisse sacramentum per JOVEM LAPIDEM Phavorinus testatur apud Agellium lib. I. Noct. Atticar. cap. XXI. cum quo M. Tullius facit in Epistolis ad Trebatium, Plutarchus in Sullâ,

lâ, & è recentioribus elegantissimus I. C. Iacobus Rævardus lib, v. Varior. cap. v. atque ita D. E. R. C.

CAPUT XIX.

JOVIS CAPITOLINI *insignia, sive* κόσμος, Fulmen aureum, Barba aurea, Corona aurea, *sive* διάδημα. Sceptrum *sive* Hasta, Sella eburnea auro vincta, *vel* ex auro mero. Vestis picta *seu* palmata. *Coronæ* Etruscæ, & Olympicæ. *Hastæ ad imagines Deorum: earumque relligio. Statuæ Deorum sessiles plerumque, & χρυσόθρονοι hinc dicti. Jovis* ornatus, Exuviæ, Tunicæ, Pictæ, Palmatæ, Triumphales, Capitolinæ. *Peplum Junonis. CaI Cæs. insania: aliaque in hanc rem.*

IOVEM Fictilem Eboreum, Aureum descripsimus: restare videtur ut Ornamenta ejus

ejus omnia sigillatim exprimamus. In his velut præcipuum eminebat Fulmen aureum, insigne JOVIS CAPITOLINI proprium, de quo Minucius Felix Octavio: *Juppiter cùm Hammon dicitur, habet cornua; & cùm* CAPITOLINUS, *tunc gerit fulmina; & cùm Latiaris, cruore perfunditur.* Livius lib. XXXII: *Cn. Flaminio & Cn. Servilio Coss. Decemvirorum monitu decretum fuit, fulmen Jovi aureum quinquaginta pondô fieret.* Unde Juvenalis Satyrâ XIII. de pejerante aliquo:

Per Solis radios Tarpejaque fulmina jurat.

& Plinius [1]: *Alii in ipso Capitolio fallunt &* FULMINANTEM *pejerant* JOVEM. credebaturque vulgò Jovem è Capitolio fulmina vibrare. Claudianus eò accedit III. de laudib. Stiliconis:

—— Hinc fulmina vibrat
Juppiter, hanc tota Tritonia Gorgone velat.

Virgilius ipse in descriptione montis Capitolini:

—— Arcades ipsum
Credunt se vidisse Jovem, cùm sæpe nigrantem

Ægi-

1 Lib. 2. cap. 7.

Ægida concuteret dextra, nimbosque cieret.

quibus adde quæ de antiquâ loci hujus relligione & opinione istâ vulgari capp. II. & VI. hujus commentarii in medium attulimus. Præter Iovem etiam Iunoni, Minervæ & Volcano 1 quidam Fulmina tribuerunt; antiquissimi tamen Etruscorum soli Iovi.

Alterum Iovis Romani ornamentum Barba aurea, scilicet tum maximè cùm eboreus adhuc esset. legitur enim de Cajo Cæsare, apud Suetonium 2, dum Iovem nostrum cupit imitari, *aurea barba conspicuum fulmen tenuisse.* ubi interpretes, qui de Æsculapio dubitant, frustra omninò sunt. quæ enim conformitas Medico Numini cum fulmine? idque eò magis de Iovis æmulatione ceperim, quod inter cæteras ejus monstri insanias à Senecâ referatur: 3 *Cajum Cæs. iratum cœlo, quòd obstreperet Pantomimis, quos imitabatur studiosiùs, quàm spectabat, quodque comissatio sua fulminibus terreretur; ad pugnam vocavisse, & quidem sine intermißione* (Iovem) Homerico illo inclamato versu:

Ζεῦ.

1 Lucret. lib. 6. Serv. in 1. Æneid. Virgil. ibidem Interpp. Horatl ad od. 2.

2 Cap. 52. 3 Lib. 1. de ira.

Ζεῦ πάτερ, ἦ τις σεῖο θεῶν ὀλοώτερος ἄλλος,

ut cæteras ejus minas in Iovem, seu blanditias transeamus, quas Suetonius in ejus vitâ, Dio Coccejanus, Josephus, atque alii curiosè adnotarunt. De barbis illis signorum, auro bracteari solitis, ita Persius Severus in Satyris:

—— nam fratres inter aënos,
Somnia pituitâ qui purgatissima mittunt,
Præcipui sunto: sitque illis aurea barba.

quasi dicat, in signis pretiosioribus id tantum esse observatum.

Tertium Iovis ejus insigne Sceptrum aureum vel eboreum, quod præter vetera Statuarum monimenta, Dionem Coccejanum[1], Albericum Phurnutum, alios, D. etiam testatur Augustinus 2 his verbis: *Ipsum enim* (Iovem) *Deorum omnium Dearumque Regem esse volunt. hoc ejus indicat Sceptrum, hoc in alto colle Capitolium.* exemplo scilicet Iovis cælestis, de quo, post Homerum, Ovidius 3 in descriptione Majestatis:

Assidet inde Jovi, Jovis est fidissima custos,

Et

1 Lib. 41. & Pausaniam.
2 4. de Civit. cap. 9.   3 5 Fastor.

Et præstat sine vi sceptra tenenda Jovi.

Ea autem Deorum Sceptra nihil aliud quàm oblongæ quædam hastæ fuerunt, quod præter vetera ἀγάλματα ex Homero colligimus, ubi Vulcanum inducit è domo suâ ornatè prodeuntem:

Δῦδε χιτῶν' ἕλε δ' σκῆπτρον παχὺ βῆδε θύραζε
Χωλεύων.

clariùs è Justino lib. LXIII: * *Per ea tempora Reges hastas pro diademate habebant, quas Græci Sceptra dixêre. nam & ab origine rerum pro Diis immortalibus hastas coluere. ob cujus relligionis memoriam adhuc Deorum simulacris hastæ adduntur.* unde in Iulio Obsequente legimus *Hastas in Deorum Templis suâ sponte se commovisse*, vel, *in summis spiculis*, per prodigium, *exarsisse*. Quin & Hastæ hujusmodi, sive σκῆπτρα, pro DIS etiam cultæ, & juramenta per illas concipi solenniter solita; quod Nicolaus Leonicus Thomæus Var. Histor, lib. I. c. XII. & Lumen illud Galliæ Turnebus Adversar. lib. XII. cap. XVI. curiosissimè adnotârunt. Adde quæ Servius in VII. Divinæ Æneidos, ad Virgiliana verba:

—— *lævaque Ancile gerebat.*

Septem

* Male citatum pro XLIII.

Septem (inquit) *fuerunt paria, quæ Romanum imperium tenerent: Acus Matris Deûm, Quadriga fictilis, Vejentorum cineres, Orestis sceptrum, Priamine & Iliona, Ancilia.* * Qualem hastam non in lævâ tantùm JOVIS CAPITOLINI manu, sed Dearum etiam JUNONIS & MINERVAE Numis TRAJANI elegantissimis conspicimus, quos suprà 1 proponebamus. Coronatus etiam in Capitolio Iuppiter, quod adsero è Plautinâ Trinumo, Scænâ, *Larem coronâ*:

Nam nunc ego si te surripuisse suspicer
Jovi coronam de capite, è Capitolio,
Quod in culmine adstat summo.

Ubi legendum fortè, *exstat summo.* ut naturalem loci altitudinem designet: sed hoc arbitrarii juris esto. Auream opinor eam coronam fuisse, ad similitudinem *Etruscarum*, quas Ter-

* Miror, quid ita vitiose hunc locum citare voluerit auctor. Nam in Servio legitur *Acus matris Deûm, quadriga fictilis Veiorum, cineres Orestis, sceptrum Priami, velum Ilionæ, Palladium, ancilia.* Fortassis etiam scripsit *septem fuerunt fata.* Utique quos nunc cineres Orestis dicit, de iis scribit alibi. *Ossa Orestis ab Aricia Romam translata, & condita ante templum Saturni, quod est ante clivum Capitolinum*: quæ nota fuerunt Rycquio huic, ut patet ex capite XL. Addend. Donat. p. 144.

1 Cap. 13.

Tertullianus [1] noster describit, libro de Coronâ Militis: *Hoc vocabulum est coronarum, quas gemmis & foliis ex auro quercinis ob Jovem insigneis, ad deducendas* Thensas *cum Palmatis Togis sumunt.* Notum est enim cuivis quercum Iovi Tarpejo sacram fuisse, unde querneæ etiam coronæ Agônis Capitolini victoribus distributæ. Iuvenalis [2]:

An Capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare.

quemadmodum Olympiacæ ex oleastro, quod [3] Iuppiter ipse Eliacus χρυσῷ στεφάνῳ oleaginâ similitudine redimitus. Martianus autem Capella, 1. Philologiæ, præter Coronam auream Iovi etiam διάδημα tribuit è Palladio textrino. quemadmodum Peplum Iunoni Homerus Iliad. ξ.

Ἀμφὶ δ' ἄρ' ἀμβρόσιον ἑανὸν ἕσαθ', ὅν οἱ Ἀθήνη
Ἔξυσ' ἀσκήσασα, τίθει δ' ἐνὶ δαίδαλα πολλά.

Sed ut Deorum maximè proprium fuisse credas coronari, *olim* (inquit Plinius [4]) *Corona nulli nisi Deo dabatur. ob id Homerus cælo tan-*

1 Plut. etiam in Ætiis, & Plin. lib. 33. cap. 1.
2 Sat. 6. 3 Pausan. lib. 5. Aristoph. Pluto.
4 Lib. 16. cap. 4.

tantum eas & prœlio universo tribuit, viritim verò nè in certamine quidem ulli. Sed hunc ipſum Jovem poſt expulſos deviĉtoſque Titanas à cæteris DIs coronatum, auĉtor eſt Diodorus apud Tertullianum, eo, quem laudavimus, libro. cætera, quæ de Coronis, elegantiſſimo Commentario nuper proſecutus V. C. Carolus Paſchalius J. C. Gallus; unde ad Veſtitum IOVIS CAPITOLINI deſcribendum tranſcurrimus.

Eum quidem nemo melius aut accuratiùs uno Sollio Sidonio depinxit in Epithalamio PolemI & Araneolæ, cujus carmina adſcribo:

At parte ex aliâ textrino prima Minervæ
Palla Jovis rutilat, cujus bis coctus aëno
Serica Sidonius fucabat ſtamina murex.
Ebria non ſolùm ſpirat conchylia Sandyx.
Inſertum nam fulgur habet, filoque rigenti
Ardebat gravidum de fragmine fulminis oſtrum.
Heic viridis patrio Glaucus pendebat amictu,
Undabant hic arte ſinus, fictoque tumore
Merſabat pandas tempeſtas teſta carinis. *

Non

* *Carinas* voluit.

Non igitur ὁλοπόρφυρος Jovis ille vestitus fuit, id est, purpureus purus; sed varietate emblematum & picturarum diversitate signatus: quæ purpuræ ipsi decorem commendationemque majorem adferrent. Inde *Toga Picta*, & *Jovis Tunica* ἔνηλος καὶ σημειωτὴς Triumphantium appellata. Unde illud Satyrici Poëtæ [1]:

In Tunicâ Jovis, & Pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa Togæ.

Et illud Festi PompeI [2] in descriptione Tunicæ Palmatæ: *Tunica autem Palmata à latitudine clavorum dicebatur, quæ nunc à genere Picturæ adpellatur*: nimirum à Victoriis palmas ferentibus ei intextis. de quo genere picturæ Isidorus libro XIX. *Toga Palmata dicebatur quam merebantur ii, qui reportabant de hostibus palmas, quæ vocabatur & Toga Picta, eò quod victorias cum palmis intextas haberet.* & Glossarium Vetus M. S. in quo sic legimus: *Toga Palmata, quæ palmas habet.* quamquam priori apud Isidorum etymologiæ & Servius faveat in Eclogam VirgilI decimam, & Sollius Sidonius in Panegyrico ad Majoranum:

I — *Me-*

1 Satyr. 10. 2 In *Picta Toga*.

—— *Meritisque laborum*
Post Palmam PALMATA *venit.*

Plutarchus, in Æmilio, *Togam* eam *Pictam* ἁλεργίδα χρυσόπαστον vocat: quasi *vestimentum purpureum*, aut, *Paludamentum auro intextum.* Eò allusit Venantius Fortunatus lib. Carm. 11.

Alter Palmatæ, Trabeæ nitet alter honore:
Pingit & ornatum gemma, aurum, purpura, byssum.

quanquam *Trabea* inter περιπορφύρους vestes Halicarnassæo numeretur, in adparatu Saliorum [1]; quæ nonnullis tamen cum Palmatâ confunditur. Toga Picta, seu Palmata, etiam *Triumphalis* dicebatur: quòd (uti diximus) à Triumphantibus gestaretur. Nam ut bene à CL. Turnebio, in Adversariis, observatum est; Metellus, à Valerio, [2] *in veste Palmata*: à Sallustio, *in Picta*: à Plutarcho, *in θριαμβικῇ, seu Triumphali* convivia celebrâsse dicitur; narrare tamen rem eamdem volentibus. Igitur quia Jovis ille vestitus variè sic depictus & intextus, usus etiam obtinuit Romæ, ut vestes illæ Pictæ aut Palmatæ *Jovis Ornatus*, & EXUVIÆ vocarentur, Livius in

1 Lib. 2. 2 Lib. 5. cap. 9.

in Oratione P. DecI Cos. libro x. *Qui Jovis O. M. ornatu decoratus, curru aurato per Urbem vectus in Capitolium ascenderit.* 1 Suetonius Augusto, de OctavI, patris ejus, somnio: *sequenti nocte statim videre visus est filium mortali specie ampliorem cum fulmine & sceptro, Exuviisque Jovis Opt. Max. ac radiata corona super Laureatum currum, bis senis equis, candore eximio, trahentibus.* Lactantius item noster lib. II. c. XVII. *Quotiens autem pericula impendent, ob levem aliquam caussam se profitentur iratos. sicut Juno Varroni, quòd formosum puerum in Templo Jovis ad Exuvias tenendas collocârat.* Vocabantur etiam *Capitolinæ Palmatæ*, vel quia ad exemplum vestitus Jovialis effectæ, vel quia è Capitolio viri Principes ac Triumphantes eam sumebant: quod alibi adfirmabimus. Fl. Vopiscus in Probo: *Te manet pro virtutibus tuis* CAPITOLINA PALMATA. cujusmodi Capitolinam aut Triumphalem Togam Numisma vetus Augustæum nobis exprimit.

1 Cap. 94.



Suſpicor autem eam conſuetudinem Jovis Exuvias pingendi ab Olympiaco Jove, ut plura alia, ad Romanum noſtrum tranſiviſſe. Scribit enim [1] Pauſanias *Pallio* iſtius *aureo varias animantium & floſculorum figuras* fuiſſe interſperſas; quemadmodum in Capitolini noſtri Fulmina, & Victoriarum palmas ferentium ſigilla.

Inde petitam etiam reor Sellam Iovis Eburneam, ſive Auream, *Thronum* peregrino vocabulo à Plinio, Polono, Alberico, & Veteri Poëtâ apud [2] Suetonium, in Auguſto, appellatam: quamquam ibi pro,

Fugit & auratos Juppiter ipſe Thronos,

Tholos quidam malint legere. quod ad cælatu-

ras

1 5. Eliacor. 2 Cap. 68.

ras Capitolii aureas referendum esset, de quibus suprà cap. XVI. Vulgatæ tamen lectioni & Homerus Poëtarum Princeps favet qui Θεοὺς χρυσοθρόνους interdum appellat; & consuetudo Romanorum Græcorumque, qui ex Auro & Ebore Deorum ferè sellas habebant. de quâ Cæcilius in Panegyrico; *Jamdudum illi radiatum caput, & media inter Deos sedes, auro staret aut ebore.* & is (quem diximus) Albericus in descriptione Iovis: *Pingebatur* (inquit) *in Throno eburneo, in suâ Majestatis sede sedens, Sceptrum Regium in manu sinistra tenens; alterâ verò fulmina ad inferos mittens.* qualem scilicet Thronum, auro, gemmis, ebeno variegatum habuisse Olympium fatetur Pausanias v. Eliacor. & ex auro mero Capitolinum Martinus Polonus Chronographus [1], cui & Vetus ille apud Suetonium Epigrammatistes (si vulgatam scriptionem retinemus) & quæ de statuâ Iovis aureâ suprà adseruimus, assentiri videntur. Thronum hunc, sive *Sellam* aut *Solium* mavis dicere, CAPITOLINI JOVIS præter Numos hactenus allatos Numus etiam AURELIAE QUIRINAE VESTALIS exhibet, quem appingimus:

1 Cujus verba capite superiori.


VEST. AUR. QUIRINA.


CAPITO LINUS SANIT. O. M. X.

Sessilem autem Iovis in Capitolio Statuam fuisse præter ea, quæ attulimus, antiquorum testimonia, somnium etiam Q. Catuli ostendit, apud Suetonium, *in gremio Capitolini Jovis* Octavium puerum videre se credentis. Mos etiam & consuetudo Triumphantium, qui in gremio ejusdem Numinis Laureas suas victrices deponebant. de quâ consuetudine Lipsius ad II. Annalem Cornelianum, & Casaubonus ad lib. VIII. SuetonI, nos etiam ipsi alterâ Commentarii hujus parte. Talis quoque statua Iovis in Capitolio CUSTODIS, de quâ Tacitus in III. Historiar. & JOVIS CONSULENTIS, aut *Consultoris*, de quâ Vopiscus in Firmo: aliorum quoque plurium in hac Urbe Deorum. Hinc verò apparet non leviter falli Guilelmum Choulium [2], qui è vetere gemmâ Iacobi Stradæ Antiquarii, Templum *Jovis Capitolini* stantis proponit, sceptro carentis, & Coronâ. cùm (si ad res Romanas id referendum esset) ad *Tonantem* potiùs, meo judicio, pertineat; cujus non absimilis in Augusti Numis forma; sed quam alibi [2] proponemus.

1 Lib. de Religione Roman. 2 Infrà c. 39.

CAPUT XX.

JOVIS *istius cognomenta* TARPEIUS, CAPITOLINUS, OPT. MAX. CUSTOS. CONSERVATOR. PROPUGNATOR. AUGG. CAELESTINUS. DOLICHENUS. FULMINANS. FULGURATOR. SARAPIS. ROMANUS. & *apud Poëtas* TONANS. *Petri Fabri V.C. in Plutarcho emendatio confirmata. Jovis in Principes cura. quid* δολιχὸς, *quæ* δολιχά. *Discrimen Jovis* Capitolini, & Tonantis, *contra ineptos antiquarios ostensum.*

Nunc πρωθύστερον (quod dicitur) à Iovis Ornamentis, Insignibusque ad cognomenta in Capitolio ejus describenda, accingamur. Primam præcipuamque JOVI nostro ἐπωνυμίαν locus ipse fecit. Inde TARPEI & CAPITOLINI cognomenta fluxêre. illo à Poëtis potissimùm vocatus: quasi speciosius foret eò crebriùs utentibus. [1] Unde Sillius Ita-

1 Lib. 15.

Italicus, verbis Syphacis ad fœdus feriendum Romanos cohortantis:

Cornigerumque Jovem, TARPEIUMQ. *ore vocemus.*

Ovidius in VI. Faſtor. oratione Iunonis Iunium ſibi adſcribentis:

Si torus in pretio, dicor matrona Tonantis,
Junctaque TARPEIO *ſunt mea Templa* JOVI.

Statius IV. Silvarum:

Donec Troicus ignis, & renatæ
TARPEIUS *Pater intonabit aulæ.*

1 Martialis in Epigrammate ad Cæſarem Domitianum mirè κολακικῶ:

TARPEIO *Deus hic commodet ora Patri.*

& iidem alibi ſæpiſſimè. Quanquam non Poëtæ modo, ſed princeps etiam 2 J. Crum. Jovi hoc attribuit in Fragmentis Inſtitutionum, cùm ait: *Deos publica auctoritate receptos hæredes bonorum inſtitui poſſe, ſicuti* JOVEM TARPEIUM, *Apollinem Didymæum*, &c. cujus loci occaſione alius in mentem venit, quem in libro περὶ παραλλήλων Plutarchi V. C. Petrus Faber doctè nuper emaculavit. 3 nam ubi de M. Curtii Devotione agitur

1 Lib. 9. 2 Ulpian. Tit. 22.
3 Lib. 3. Semeſtr. cap. 4.

tur (qui in vaſtum & immenſæ altitudinis ſpecum , medio foro hiantem, ſe dimiſit) ſic vulgò ſcriptum erat : Διὰ μέσης τῆς ἀγορᾶς ῥέων ὁ Τίβερις , διὰ μέσων ΤΑΡCΙΟΥ ΔΙΟC, μέγιστον ἀπέῤῥηξε χάσμα, καὶ πολλὰς οἰκίας ἐβύθισε. ridiculè nimis pro : διὰ μέσων ΤΑΡΠΕΙΟΥ ΔΙΟΣ. errore ſcilicet è confuſione litterarum nato. Illi * enim Curtius ſe devovit, ut vel ex Livianis iſtis facilè adparet: [1] *Silentio facto Templa Deorum immortalium, quæ foro imminent*, Capitoliumque intuentem, *& manus nunc in cælum , nunc in patentes terræ hiatus ad Deos Maneis porrigentem, ſe devoviſſe.* Hæc quidem de TARPEI cognomine. ſequitur alterum quo , uti numeroſiore, pedeſtris ſcriptorum claſſis magis delectata. ut Plinius Cæcilius, in Panegyrico Principi dicto : *In fine Orationis præſides cuſtodeſque Imperii Deos ego Conſul pro rebus humanis, ac te præcipuè* CAPITOLINE JUPPITER *precor, ut beneficiis tuis faveas.* Vellejus in fine operis ſui Hiſtorici; JUPPITER CAPITOLINE, *& auctor*

* Id plane non videtur ex iſtis Livii verbis, ſed vere ſe Dis Manibus devovit. De Jove utique nihil dicitur, niſi eum intuitum fuiſſe Capitolium : ſed & intuitus fuit templa aliorum , quæ foro imminebant.

1 Lib. 7.

auctor ac ſtator Romani nominis, *Gradive Mars*, & quæ ibi ſequuntur, pro ſalute Principis, exquiſitiſſimis adulationibus expreſſa. Sic M. ipſe Tullius in orationibus paſſim & CAPITOLINUM, & OPTIMUM, MAXIMUMQUE cognominat. Sic veteres ipſi lapides, & præcipuè iſte, quem in arce Tarpejâ olim deſcripſimus:

.... COMUNEI. RESTITUTEI. IN MAJORUM. LIBE .... ROMA JOVEI. CAPITOLINO. ET. POPLO. ROMANO. BENIVOLENTIAE BENEFICIQUE. CAUSA. ERGA. LUCIOS. AB. COMUNI ......

ſubjuncta erant ferè eadem Græcè:

....ΚΙΩΝ. ΤΟ. ΚΟΙΝΟΝ. ΚΟΜΙΣΑΜΕΝΟΝ. ΤΗΝ. ΠΑΤΡΙΟΝ. ΔΗΜΑ.... ΡΑΤΙΑΝ. ΤΗΝ. ΡΩΜΗΝ. ΔΙΙ. ΚΑΠΕΤΩΛΙΩΙ

ΚΑΙ. ΤΩΙ. ΔΗΜΩΙ. ΤΩΝ
ΡΩΜΑΙΩΝ. ΑΡΕΤΗΣ. ΕΝΕΚΕΝ. ΚΑΙ. ΕΥΝΟΙΑΣ. ΚΑΙ
ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ
ΤΗΣ. ΕΙΣ. ΤΟ. ΚΟΙΝΟΝ. ΤΟ. ΛΥΚΙΩΝ

cui quidem lapidi velut in baſim efformato; ſacrum aliquod Donarium videtur fuiſſe impoſitum, ab iiſdem Lyciis Templo Capitolino

 olim

olim oblatum. cujusmodi multa ibi fuisse infrà [1] commodiùs ostendam. Exstat etiam alius in Urbe lapis, quem pleniùs suprà descriptum exhibui:

JOVI. CAPITOL.
MARTI. ET. FORTUNAE
ALIISQ. DIS. CONSERVAT.
DOMUS. AUG.

In quo bene CONSERVATOR. AUG. vocatus Juppiter, quemadmodum & in aliis lapidibus NUMEN. AUGUSTI, ut qui Princeps Deorum Principes viros curare præcipuè creditus. eruditè à clarissimo Turnebo [2] olim est observatum, ad istud Horatianum:

—— *Tibi cura Magni*
CAESARIS *fatis data.*

cui opinioni confirmandæ illud Callimachi adducit:

—— σὺ δ' ἐξέλεο πτολιάρχους
Αὐτούς.

& iterùm:

Ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες, ἐπεὶ Διὸς οὐδὲν ἀνάκτων
Θειότερον.

Inde celebres illæ Numorum inscriptiones JOVIS STATORIS, SERVATORIS, CONSERVA-

1 Cap. 21. 2 Adversar. lib. 29. cap. 29.

VATORIS, CUSTODIS, PROPUGNATORIS AUGG. Inde in veteri Epigrammate Tudertino legitur: JUPPITER OPT. MAX. CONSERVATOR. Inde à Græcis Σωτὴρ etiam cognominatus. auctoribus Plutarcho [1] & Pausaniâ. Nec aliò respexisse credo Domitianum Augustum, cùm post incendium Capitolinum, sub initia paterni imperii, *Templum ingens* in Capitolio JOVI CUSTODI [2] exstruxit, *seque in sinu ejus* (ob accepti memoriam beneficii) *sacravit*. Inde etiam toties in marmoribus JOVI. O. M. PRO. SALUTE. CAESS. AUGG. Vota concepta, quæ in Thesauro Antiquario Laurinorum fratrum, Huberto Goltzio adscripto, & uberrimo Jani Gruteri Romanarum Inscriptionum opere partim leguntur, partim nos ipsi altero Syntagmatis hujus libro (cùm necesse erit) producemus. Nihil itaque mirandum si tantus ille Principum Princeps, & Humani generis Curator (ut falso atque impiè majores nostri crediderunt) OPTIMI & MAXIMI cognomenta sibi repererit: idque præcipuè in solenni aliquâ Votorum nuncupatione, aut celebriore sacrificio. Unde Lactantius noster

1 In vita Demosthenis.
2 Tacit. III. Histor. Sueton. Domitian.

c. x. ubi de DIs: *Quid omnium horum pater Juppiter, qui in ſolenni precatione* OPTIMUS MAXIMUS *nominatur?* ſic tamen ut OPTIMI nomen ſemper MAXIMO præponeretur, quòd (teſte Cicerone) *majus ſit gratiuſque prodeſſe omnibus quàm opes magnas habere.* nam ut ex eodem Cicerone 1 alibi diſcimus, *Jovem Capitolinum P. R. propter beneficia* OPTIMUM, *propter vim* MAXIMUM *nominavit.* Gratiora autem generi humano beneficia, quàm vis Deorum atque potentia; quòd diligi ſe ab illis malint, quàm puniri atque caſtigari. Volebant enim ad exemplum ſupremi iſtius Jovis humanos etiam Deos, hoc eſt, Principes ipſos conformari; ut nimirùm hinc diſcerent certoque ſibi perſuaderent ſtabilius firmiuſque regnum fore, quod benevolentiâ ac lenitate, quàm quod potentiâ atque Tyrannide adjungerent. Quod Politicum θεώρημα ſi bene atque ſapienter intellexiſſet Princeps Caligula, vel ab iſtis Jovis cognomentis 2 planè ſe abſtinuiſſet; vel clementiùs herculè atque moderatiùs Principatum adminiſtrâſſet. Eamdem verò Beneficentiam atque Benignitatem quàm Theologi ipſi JOVI Τῷ ἀρίςῳ καὶ μεγίςῳ,

1 2. de Nat. Deor.
2 Vide Suet. in ejus vita cap. 22.

γίςῳ, Aſtronomi Joviali etiam aſtro tribuerunt. Sic enim M. Cicero lib. VI. de Rep. in Somnio Scipionis: *Eſt hominum generi proſperus & ſalutaris ille fulgor, qui dicitur Jovis.* Firmicus etiam Maternus libro (ni fallor) I. Matheſeων: *Et tu Juppiter Tarpejæ rupis habitator, qui mundum ac terras ſalutari ſemper ac benignâ majeſtate lætificas, & ſecundi globi poßides principatum.* & Aratus ante illos Solenſis in principio τῶν φαινομένων:

—— Πάντη δ' Διὸς κεχρήμεθα πάντες,
Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. ὁ δ' ἤπιος, ἀνθρώποισι
Δεξιὰ σημαίνει.

Sed numquid ab iſto ſecundi globi principatu CAELESTINUS etiam dictus? ſic enim legere memini in veteri lapide, quem Smetius publicavit: JOVI. OPT. MAX. CAELESTINO. Erat & alter apud eumdem ſic inſcriptus: JOVI. O. M. DOLICHENO. obſcuro quidem cognomento: cujus rationem non infeliciter ſic videor eruiſſe *. Adeptus enim id cognominis Juppiter videtur παρὰ τὸ δόλιχον, quod in-

* Quod non etiam videtur vel C. Patino in nummis Severi pag. 286, vel Jac. Sponio in miſcellaneis Erudit. antiq. pag. 79, ubi effigies ejus exhibetur.

interpretantur veteres Grammatici [1] τὸ ἱπποδρόμον, quod potiſſimum erat ſtadiorum IV. Unde à longitudine ipſâ decurſionis δόλιχον adpellatum. δολιχὰ namque ſunt iis τὰ μακρὰ, τὰ πολλά. Ideò δολιχὸς πλόος apud Homerum, & in florilegio, δολιχοὶ κάματοι, δολιχαὶ ἐλπίδες & alia ſic multa eleganter dicta. Romani igitur Græcanico nomine Jovem DOLICHENUM inſcripſerunt, [2] vel quia ſolennis illi Thenſarum pompa cotannis è Capitolio in Circum duceretur; vel quòd Latinarum feriis quadrigæ certarent in Capitolio: ut alibi dicetur.

Succedit his cognomentis alterum FULMINANTIS, aut FULMINATORIS (Græci Κεραύνιον aut Κεραυνόβολον dicerent; quod eruimus è manifeſto loco Plinii [3]; *Alii in ipſo Capitolio fallunt, &* FULMINANTEM *pejerant* JOVEM. à Fulminibus videlicet, quæ Capitolinus geſtare manu ſolitus, ut initiò docuimus. Neque id cognominis Madaurenſi Philoſopho prætermiſſum in paraphraſi elegantiſſimi libelli de Mundo: *Nam à Juvando Juppiter dicitur, quem* Ζῆνα, *quòd vitæ noſtræ*

1 Ariſtophan. Scholiaſt. Pollux, Suidas, alii.
2 Dionyſ. lib. 7. Plin. lib. 27.
3 Lib. 2. cap. 7.

nostræ auctor sit, rectissimè appellant. *idem* FULMINATOR, FULGURATOR *&* TONITRUALIS *ac* SERENATOR *dicitur.* Omittere etiam sine piaculo non possum nobilissimum locum Senecæ è II. Natural. Quæst. suprà nobis præteritum, sed huc mirificè facientem: *Ne hoc quidem* (ait vir Sapiens) *crediderunt majores nostri Jovem, qualem in Capitolio & cæteris ædibus colimus, mittere manu fulmina; sed eundem, quem nos,* IOVEM *intelligunt:* CUSTODEM RECTOREMQUE UNIVERSI, ANIMUM *ac* SPIRITUM MUNDANI HUJUS OPERIS, DOMINUM *&* ARTIFICEM, *cui nomen omne convenit.* In Volumine Smetiano Antiquarum Inscriptionum Ara Tudertina est, cum Titulo: ARA JOVIS FULGURATORIS. quem ad Capitolinum nostrum spectare existimo. Aliæ Romæ cum Inscriptione: JOVI. SANCTO. BRONTONTI. quæ ad Tonantem [1] potius in Clivo ab Augusto dedicatum referendæ. Hunc tamen Poëtæ usitatâ sibi libertate cum *Fulminante* Capitolino sæpè confundunt. ut Ovidius [2] in Fastis:

Si torus in pretio est, dicor Matrona Tonantis.

non

1 Vide infrà cap. 39.
2 Lib. 6,

non tamen isto loco.[1]

Ad penetrale Numæ, Capitolinumque TONANTEM,
Inque JOVIS SUMMI *cæditur Arce bidens.*

Ubi expresse *Jovem summum* à Tonante Capitolino discriminat. *Capitolinum* autem vocat, quia ad clivum (uti diximus) ejus Templum dedicatum. Confundunt etiam, Sillius lib. XII.

Et demigrantem Tarpejâ rupe Tonantem.

idemque alibi: & Martialis lib. IX.

Adspice Tarpejum, Pallatinumque Tonantem,
Ausa nefas Lachesis læsit utrumque Jovem.

Nec Poëtæ solùm confundunt, quibus veniam facilè tribuimus; sed (quod indignor) Antiquarii [2] etiam quidam, ducti errore loci Pliniani, sed parum à se intellecti, aut sinistrè interpretati. Is est lib. XXXIV. c. II. ubi de discrimine Æginetici & Deliaci æris: *Bos æreus inde captus in foro Boario est Romæ. hic est exemplar Æginetici æris. Deliaci autem, Juppiter in Capitolio in Æde Jovis Tonantis.* & al-

1 Lib. 2. Fast. 2 Illi quoque qui Indicem PliniI concinuârunt.

& alterius infrà lib. XXXVI: *Primùm, ut arbitror, Romæ marmoreos parietes habuit scænæ M. Scauri. qui non facilè dixerim sectos, an solidis glebis positos; sicut est hodie Jovis Tonantis ædes in Capitolio.* Utriusque tamen differentiam egregiam cùm ex situ diverso Templorum, tum ex verbis Suetonianis, observare est in vitâ Augusti: *Cùm dedicatam* (ait [1] Suetonius) *in Capitolio ædem Tonanti Jovi assiduè frequentaret, somniavit queri Capitolinum Jovem: cultores sibi abduci. seque respondisse: Tonantem pro janitore ei adpositum. Ideoque mox tintinnabulis fastigium ædis redimivit, quod ea ferè januis dependebant.* quæ tamen clariora legentibus & apertiora fierent, si ea adjunxerint, quæ nos de Æde JOVIS TONANTIS, suo loco [2] adferemus, cùm aliorum in Capitolio Deorum Dearumque Sacraria describentur. Erat & cognomen Iovis nostri alterum (quod ex veteribus inscriptionibus Goltzius [3] profert) JOVIS OPT. MAX. SARAPIDIS. Unde & in Græcis lapidibus passim legitur: ΔΙΙ. ΗΛΙΩΙ. ΜΕΓΑΛΩΙ. ΣΑΡΑΠΙΔΙ; ex Ægyptiorum videlicet opinione natum, qui *Sarapidem* à Sole, & So-

1 Cap. 91. 2 Infrà cap. 39.
3 in Thesauro Antiquario.

& Solem à Jove non distinguunt. ut eruditè atque eleganter à Macrobio demonstratum est lib. 1. Saturnal. c. xx. & sequenti. Quam opinionem Ruffinus etiam noster attingit lib. 11. Historiæ Ecclesiasticæ, his verbis: *De Sarapidis origine diversa fertur opinio. alii Jovem putant, cujus capiti modius superimpositus. vel quia cum mensurâ modoque cuncta indicet moderari, vel, vitam mortalibus frugum largitate præberi.* sed quem ille *modium* Macrobius dicto libro [1] *calathum* vocat: eumque simulacro ejus additum vult, *quia & altitudinem sideris monstrat, & potentiam capacitatis ostendit: quia in solem omnia terrena redeunt, dum immisso calore rapiuntur.* Atque hujusmodi modium, sive calathum, simulacro Iovis impositum est videre, cùm in aliis multis tum in numo æreo D. Hadriani, quem in gratiam hujusmodi elegantias amantium adpingam: Dictus tandem à Româ

Ur-

1 Cap. 20.



Urbium Principe & Romanâ Arce IUPPITER ROMANUS, apud Livium lib. IIX. de Latinorum Legato: *Cùm & Coss. crebrò Deos imploranteis, testes fœderum, & Patrum indignationem & numina* IOVIS ROMANI *sperneret.* quemadmodùm ab aliis Italiæ civitatibus aut locis *Hercules Tiburtinus*, *Juno Vejentana*, *Fortuna Antias* & *Prænestina*, *Pallas Surrentina*, *Apollo Cumanus*, & extra Italiam infiniti hujusmodi Titùli variarum Divinitatum.

CA-

CAPUT XXI.

Cellarum Ornamenta è ſacris Donariis. *quid propriè* Donaria. Aurum, Gemmæ, Statuæ, Coronæ, Arma, Picturæ, Vaſa pretioſa, Veſtes aliaque munera *Jovi oblata. De* Auro *primùm dictum: ejus quanta vis in Capitolio dicata. id* Triumphale *aut* Votivum *potiſſimum fuiſſe, aliquando* Coronarium *aut* Fideicommiſſum: *expilatum à variis aut mutuò ſumptum. Diverſæ de auro Gallico ſententiæ. quid ſit in Prudentio*, Placare Delubra. *Corvi & mures aurum adroſerunt.* χρυσὸς ἄφθαρτος: *idque è Sappho Poëtriâ probatum.*

Cellarum modum, formamque, ac figuram (quò per injuriam temporum licuit)

cuit) ſtilo illuſtravimus; reſtat ut earum Ornamenta (quæ illuſtria ſanè fuerunt) paucis proſequamur. [1] Nam *in Fanis* (ut Macrobius inquit è Papyriano jure) *alia Vaſorum ſunt & ſacræ ſuppellectilis: alia Ornamentorum. Quæ Vaſorum ſunt, inſtrumenti inſtar habent, quibus ſemper ſacrificia conficiuntur: Ornamenta verò ſunt clypei, coronæ, & hujuſcemodi Donaria.* quo in loco καταχρηστικῶς *Donaria* pro ipſis *Donis* uſurpari ex Virgiliano interprete conſtat, in locum iſtum [2] è IV. Georgicor.

> *Quæſitas ad ſacra boves Junonis, & Uris*
> *Imparibus ductos alta ad Donaria currus.*

Annotat enim, *Donaria propriè loca eſſe, in quibus Dona reponerentur Deorum*: cùm tamen pro ipſis Donis, & Muneribus ſacris, imò & Templis ipſis, abuſive uſurpentur. ServI auctoritatem egregiè juvat Apulejus lib. IX. Metamorphoſ. ubi ait: *Cantharoque & ipſo ſimulacro quod gerebam apud Fani Donarium redditis ac conſecratis, alterâ die productum me, rurſum voce præconis venui ſubjiciunt,*

1 Lib. 3. Sat. cap. 11.
2 Et in 12. Æneid.

jiciunt, ubi negari omninò non poteſt, quin pro repoſitorio aliquo Donorum, ſive *ἱερο-θήκη Donarium* ſit poſitum. quæ res diligentiſſimum interpretem Beroaldum minimè fefellit. Hujuſmodi autem Munera ſive ornamenta, omninò multa & pretioſa in Capitolio fuere. Auri ſcilicet magna vis, Gemmæ variæ, Statuæ ex omni metallo, Clypea diverſa, Arma & Tropæa ſumptuoſa, Coronæ aureæ innumeræ, Picturæ effectiſſimæ, Vaſa ſummorum artificum, Veſtes admirandæ. Præcipua horum à Ducibus, Regibus, Rebuſpublicis, aut Victoriæ gratulandæ, aut Fœderis firmandi, aut Voti nuncupandi cauſſa Iovi Opt. Max. oblata. Accedebant illa quæ ab Ædilibus Curulibus è pecuniâ mulctatitiâ interdum poſita, & à Senatu ipſo, à Principibus, & Triumphantibus Divinitati conſecrata. Primam tamen in primariâ illâ cellâ *χρυσὸς ὁ Διὸς* [1] *παῖς*, apud parentem ſuum poſitus admirationem merebatur. Ejus quæ fuerit in Capitolio majeſtas hoc capite pertexam; reliqua deinde Ornamentorum, per ſuas partes, ſigillatim explicaturus. Duas in Capitolio (uti & cæteris Templis) ſacrandi Auri cauſſas potiſſimùm reperio:

1 Sappho Poëtria apud Scholiaſt. Pindari.

perio: Voti, & Triumphi. quas prudentissimus ſcriptor ſuggerit Annali xv. cùm ait: *Inque eam prædam etiam* DI *ceſſere ſpoliatis in Urbe Templis, egeſtoque auro, quod* TRIUMPHIS, *quod* VOTIS *omnis P. R. ætas* PROSPERE, *aut* METU *ſacraverat.* Certè in metu aliquo publico nihil uſitatius aut crebrius quàm dona hujuſcemodi Jovi & cæteris Diis polliceri. Inde totiens apud Livium: *Conſules paludati Votis Nuncupatis in Provincias profecti.* & apertè apud eundem lib. xxxi. *Ludos Jovi Donumque vovere Conſulem, cui provincia Macedonia eveniſſet,* (Senatus) *juſſit.* Formulam autem ſive Verba concepta, queis ſolemne id votum nuncupabatur à Senatu, Pontifice Max. præeunte, idem ſcriptor attulit libro XXXVI: SI. DUELLUM. QUOD. CUM. ANTIOCHO. REGE. SUMI. POPULUS. JUSSIT. ID. EX. SENTENTIA. S. P. Q. ROMANI. CONFECTUM. ERIT. TUM. TIBI. JUPPITER. P. R. LUDOS. MAGNOS. DIES. X. CONTINUOS. FACIET. DONAQ. AD. OMNIA. PULVINARIA. DABUNTUR. DE. PECUNIA. QUANTAM. SENATUS. DECREVERAT. QUISQUIS. MAGISTRATUS. EOS. LUDOS. QUANDO. UBIQUE. FAXIT. HI. LUDI. RECTE. FACTI. DONAQUE. RECTE. DATA. SUNTO. Eò facit vulgatum illud Petronii: *Ipſe Sena-*

 tus

tus recti bonique præceptor CIↃ. *Pondo auri Capitolio promittere solet.* Et quod in Veteri Inscriptione positum: JOVI. OPTIMO. MAXIMO. SENATUS. POPULUSQUE. ROMANUS. VOTO. SUSCEPTO. PRO. SALUTE. IMP. CAES. QUOD. PER. EUM. P. R. IN. AMPLIORI. ATQUE. TRANQUILLIORI. STATU. EST. Hoc etiam est quod Asclepiades Præfectus apud Prudentium [1] *Placare Delubra* dicit, his verbis:

Hoc sanctum ab ævo est, hoc est ab avis traditum,
Placanda nobis pro Triumphis Principis
Delubra, faustus ut secundet gloriam
Procinctus, utque subjugatis hostibus
Ductor quietum frænet orbem legibus.

Quæ solemnis Nuncupatio in vilissimam demum adulationem transiit, ut quicquid delirâssent Principes aut somniâssent Dono aliquo Jovi consecrato sanciretur. [2] scribit enim Cornelius Tacitus Agrippinâ ac Sejano interemptis decretum à Senatu, *ut* XV. *Calendas Novemb. utriusque necis die, per singulos annos donum Jovi sacraretur.* [3] Itemque, *ut Eiduum Septemb. dies, quo se Libo Drusus interfecerat, dies festus haberetur, & dona Jovi, Mar-*

1 Martyrio Romani. 2 Annal.6. & Suet. Tib. 4 Idem Ann. 2.

Marti, Concordia consecrarentur. quæ adulationes pessimis illis temporibus adeò frequentes fuêre, ut non injuriâ tunc iste apud Senatores exclamaverit: 1 *O homines ad servitutem paratos!* nosque iis omnibus describendis frustra laboraremus. Alterum & potius illud aurum fuit, quod re benè gestâ Duces Triumphantes offerebant in Templo dedicandum. Ita M. Camillum Urbis Liberatorem legimus post Gallos ad internicionem cæsos, 2 *bis mille pondô auri* in cellam Capitolinam condidisse. cujus auri dimidium Matronas (quo sacro auro abstineretur) contulisse quidam volunt; reliquum è Manubiis adjectum Gallicis, sed anteà partum à Gallis è delubris Urbanis detractum. Livius tamen illud quoque adjectum putat, 3 *quod ex aliis Templis inter trepidationem collatum in Jovis cellam fuerit. cùm enim in quæ Templa referri quodque oporteret confusa memoria esset, Sacrum omne judicatum esse, & sub Jovis cellâ poni jussum.* Bis autem in Historiis reperimus Matronas Romanas Aurum collativum dedisse. Primùm ad Votum Apollini Delphico, quo se Camillus Bellò Vejente damnaverat, persolvendum; secundò (uti diximus) ob Gallo-

1 Idem Ann. 3. 2 Liv. lib. 6. & Plin. 33. cap 1. 3 Ibidem.

rum exercitum ab obsidione Capitolii submovendum. Festus Pompejus de isto: *Pilentis & carpentis Matronis per Urbem vehi concessum est, quòd cùm aurum non reperiretur ex voto, quod Camillus voverat Apollini Delphico, contulerunt.* Ea erat *Patera* (ut [1] Livius) sive *cratera aurea* (ut eam alibi [2] Festus vocat) *octo Talentorum.* Cujus pretium Matronisne à P. R. restitutum sit, an illud potiùs quod liberandæ à Gallicâ obsidione Urbi deinde collatum est, Scriptores ambigunt. Plutarchus in Camillo redditum iis Aurum non scribit, sed decretum à Senatu, μετὰ θάνατον, ὥσπερ ἐπὶ τοῖς ἀνδράσι, καὶ ταῖς γυναιξὶ λέγεσθαι τὸν ἄξιον ἔπαινον. quod Livius interpretatur: *Ut earum sicut virorum post mortem solennis laudatio esset.* quem tamen honorem iis tributum mavult ob Tributum Capitolinum persolutum. Itaque magna heic opinionum confusio est. nec tamen mirandum, cùm non defuerint qui aurum illud Gallis traditum, non extortum à [3] Camillo (ut fama est communis) sed in Gallias asportatum, & à Livio Druso Proprætore inde relatum putent. [4] Alii (inter quos Trogus Pompejus) civitatem in Galliâ Mas-

1 Lib. 5. 2 in Matronis.
3 Sueton. Tib. cap. 2. 4 Justin. lib. 43.

Maſſilienſium, cùm ex Legatis ſuis, ab Apolline Delphico revertentibus, captam incenſamque Romam intellexiſſet, *aurum & argentum publicum privatumque contuliſſe ad explendum pondus Gallis, à quibus redemptam pacem cognoverat.* * Quicquid demum hujus ſit, ſatis conſtat etiam ante Gallicam irruptionem, aurum in Deorum Templis quà in Proſperitate, quà in Trepidatione Publicâ à P.R. ſacratum. qui deinde mos ad poſteros tranſivit. 1 Legimus enim C. *Sulpicium Dictatorem auri ex Gallicis ſpoliis ſatis magnum pondus, ſaxo quadrato ſeptum, in Capitolio ſacraviſſe.* & longo pòſt tempore Dictatorem alterum L. Sullam Felicem, *tredecim millia pondô auri, quod ex Capitolinæ Ædis incendio, cæteriſque 2 delubris C. Marius filius Præneſte detulerat, & argenti ſacri ſeptem millia*, præter gentium devictarum prædam longe opulentiorem Triumpho ſuo exhibuiſſe. cujus

* Hactenus ſcilicet: non tamen dicit Juſtinus id aurum ſic collatum veniſſe etiam in manus Romanorum, Romanoſque eo uſos fuiſſe. Ut adeo nulla hinc contingat difficultas. Potuerunt & aliæ civitates tam honeſte, amiceque tunc decreviſſe & contuliſſe. Romanis grata fuit hæc voluntatis Maſſilienſium declaratio, eamque inhonoratam prætermittere non placuit.

1 Liv. lib. 7. 2 Plin. lib. 33. cap. 1.

magnam partem quis neget uti propriam Jovi Capitolino & fortassis cum fenore restitutam? semper autem eam Triumphantium consuetudinem fuisse, ut pecuniam è Manibiis magnam Capitolio dicarent, D. etiam Augusti factum ostendit. quem 1 Suetonius adfirmat unicâ, sed prodigiosâ, largitione *sedecim millia pondô auri in cellam Jovis contulisse.* Triumphale itaque hoc Aurum erat, sed diversum ab eo quod ad Coronas aureas Imperatoribus ex Provinciâ decedentibus ad decorandum Triumphum, conferretur: 2 στεφανικὸν τέλεσμα Græcis, aut χρυσίον ἐς στεφάνους, *Coronarium* Romanis appellatum. Ejus meminit idem Augustus, in Indiculo, rerum à se gestarum, Ancyrano:

IN. CAPITOLIO. ET. IN. AEDE. DIVI. JULI. ET. IN. AEDE. APOLLINIS. ET. IN. AEDE. VESTAE. ET. IN. TEMPLO. MARTIS. CONSECRAVI. QUAE. MIHI. CONSTITERUNT. CIRCITER. MILLENIS. AURI. CORONARI. PONDO. TRIGINTA. QUINQUE. MILLIBUS. *

Vi-

1 Vitæ ejus c. 30. 2 Lipſ. Admirand. 2. c. 9.

* Quam infauste sint hæc citata, patet ex notis, quæ nuper in monumentum istud in hac urbe prodierunt.

Vides itaque & Coronarii hujus auri partem ornando Capitolio à Religioſo Principe datam. quâ in re parentis ſui Dictatoris famam viſus caſtigare, [1] qui, *in Primo Conſulatu* CIↃ. CIↃ. CIↃ. *Pondo auri è Capitolio furatus, tantundem inaurati æris repoſuerat.* Quanquam & Magnus Pompejus eum Theſaurum diſſipare maluerit, quàm augere. ſcribit enim Plinius [2], *Tertio ejus Conſulatu* CIↃ. CIↃ. *P. à Camillo* (ut ſuprà diximus) *in ſolio Jovis condita periiſſe.* in ſubſidium (opinor) Civilis belli à Senatu & Collegâ illi conceſſa: Scribit enim Dio Caſſius [3] ſtatim à Curionis ab Urbe diſceſſu pecuniam & militem ab his Cn. Pompejo attributum. Nihilominus ipſe Cæſar Octavius pecuniam è Capitolio anteà acceperat, ſed gratuitò, & fœneratò. ſic enim Appianus lib. v. de bello Civili, loco mirificè huc facienti: Καὶ χρήματα τῷ Λευκίῳ μὲν ἐξ ἐθνῶν τῶν ἀπὸ τοῦ Αντωνίου οὐ πολεμουμένων. * Καίσαρι δὲ ἃ εἰλήχει πάντα, χωρὶς Σαρδοῦς, ἣ ἐπολεμεῖτο, ὅθεν ἐκ τῶν ἱερῶν ἐδανείζετο σὺν χάριτι ἀποδώσειν ὑπισχνούμενος· ἀπό τε Ρώμης ἐκ τοῦ Καπιτωλίου,

1 Sueton. Cæſ. & Plin. lib. 19. cap. 3.
2 Lib. 33. 3 Lib 41.
* Πολεμουμένων eſt in Appiano, & recte.

λίȣ, καὶ ἀπὸ Αντίȣ, καὶ Λανȣβίȣ, καὶ Νεμȣ̃ς, καὶ Τίβυρος· ἐν αἷς μάλιστα πόλεσι καὶ νῦν εἰσι θησαυροὶ χρημάτων ἱερῶν δαψιλεῖς. De Nerone etiam Tacitus [1] notavit (quem initio laudavimus) *ſpoliâſſe in Urbe Templa, & egeſſiſſe aurum, quod omnis P. R. ætas proſperè aut metu ſacraverat.* & quis dubitet quin purpureus Prædo Gazam Capitolinam ut opulentiſſimam inter primas invaſerit? Sed & bello Civili Vitelliano de Germanis militibus Joſephus ait: [2] *Direptis primùm Templi Donariis mox ipſum incendiſſe.* Et adductis teſtimoniis illud ampliùs obſervare eſt non Romæ modo, ſed & in aliis alibi Templis uſitatum, Aurum factum infectumque Deorum fanis committere. ſed aliâ (ut opinor) interdum ex cauſſâ; Cuſtodiæ, & fidei videlicet, quæ nuſquam arctior, quàm in Templis; nuſquam ſanctior, quàm apud Deos. Quod etiam Romæ ſic factum auctor eſt Cicero de Æde Opis: Juvenalis, de Caſtoris & Pollucis: Herodianus [3], de Pacis: cujus verba ſub-

1 Et Sueton. cap. 32. 2 Lib. 5. cap. 13. de bello Judaic. 3 Lib. 1.*

* cap. 43, ubi videas quî hæc ab Rycquio ſint contracta, & unde iſtud ἐθησαυρίσατο: quod etiam melius citatur ab Donato 11, 10.

ſubſcribam : Πλουσιώτατον δὲ ἦν πάντων ἱερῶν, δι' ἀσφάλειαν ἕκαστος καὶ ἃ εἶχεν, ἐκεῖσε ἐθησαυρήσατο. cùm enim multis periculis & graſſationibus nocturnis alia Urbis loca eſſent obnoxia, ibi velut in tuto poſiti cenſus crediti, cùm militares excubiæ continuò Templis prætexerentur. Sed in Summi etiam Dei Templò Hieroſolymis id fieri ſolitum fidem faciunt Craſſi rapinæ Joſepho [1] memoratæ; & ditiſſimi cujuſdam Tobiæ Hircani facultates in eo Templo repoſitæ: quibus Antiochum Principem per Legatos ſuos inſidiatum ſacræ etiam litteræ [2] teſtantur. Illud verò mirandum, quod à Livio [3] inter prodigia adfertur, *Aurum in Capitolio corvos non laceràſſe tantùm roſtris, ſed etiam ediſſe creditos.* & alibi: *Mures illud arroſiſſe.* quod Fruſinone etiam aliquando factum Julius Obſequens adnotavit. Alioqui Aurum ipſum ἄφθαρτον ſecundum Pindari Scholiaſten, id eſt, *ævi injuriâ incorruptibile.* cujus rationem reddidit è Sapphô Poëtria: Ὅτι Διὸς παῖς ὁ χρυσὸς, κεῖνον οὐ σὴς οὐδὲ κὶς δάπτει, *quia Chryſum Jovis filium nec coſſus nec tinea arrodit.*

1 Lib. 14. Antiq. cap. 12.
2 2. Machab. cap. 3.
3 Lib. 40. & Plut. in Sulla.

Caput XXII.

Anulorum & Gemmarum *apud veteres luxuria. Dei anulati.* Dactylotheca *Mithradatis Jovi sacrata. Augusti & Augustæ in Capitolium munificentia.* Crystalli *pretium.* Pocula murrhina *Triumphi Pompejani.* Vasa argentea Mentoris, Amphoræ, Canthari, Pateræ aureæ *Camilli.* Candelabrum gemmatum *Regum Syriæ.* περπλὴ, *sive*, Vitis aurea *Aristobuli. Capitolium etiam ab exteris ornatum.*

Ab Auro Capitolino ad Gemmas transibimus: cùm & Gemmæ venustare aurum, & illud vicissim Gemmas publicâ etiam æstimatione celebratum sit. Inde Anulorum nata ornamenta: quibus tantum pretii vetustas fecit, ut nobilibus cælaturis eos distinguendo, & illustribus exquisitisque gemmis exornan-

nando, ad summum tandem luxuriæ pervenerint. Egregiè pro more suo & eleganter Plinius: [1] *Multis hoc modis, & cætera omnia, luxuria variavit. gemmas addendo exquisiti fulgoris, censuque opimo digitos onerando: mox & effigies varias cælando; ut alibi ars, alibi materia esset in pretio.* Adeò enim insano illo luxu delectatos fuisse veteres reperimus, ut Deos etiam ejus expertes consistere haud paterentur. nam cùm variè nunc his, nunc illis in digitis anulos circumferrent, [2] *postea* (ait idem Plinius) *pollici proximo induêre, etiam Deorum simulacris.* Ex eâ consuetudine natum deinde opinor ut Dactylothecas integras Templis sacrarent. Quemadmodum M. Varro, [3] aliique ejusdem ætatis auctores adfirmant, *Pompejum Magnum eam, quæ Mithradatis Regis fuerat, inter dona in Capitolio dedicavisse.* eaque secunda omnium fuit, quas unquam Roma vidit, cùm primus omnium privignus Sullæ Scaurus Dactylothecam ibi aliam instituisset. Quam Pompeji munificentiam æmulatus Augustus, eadem

 (de

1 Lib. 33. cap. 1. 2 Ibidem.
3 Apud Plin. lib. 37. cap. 1. *
* (Strabo lib. XII. pag. 536, περὶ Καινῦ χωρίυ, ἐνταῦθα μὲν ἦν τῷ Μιθριδάτῃ τὰ τιμιώτατα τῶν κειμηλίων, ἃ νῦν ἐν τῷ Καπιτωλίῳ κεῖται Πομπηΐυ ἀναθέντος.)

(de quâ paullò ante) donatione [1] *gemmas ac margaritas, quingenties HS. in cællâ Capitolini Jovis condidit.* & uxor ejus Livia, mulier ornandorum Deorum vehementer studiosa, *magnitudinem amplissimam crystalli, Librarum circiter quadraginta* eidem Templo donavit. Quanquam alii codices hanc lectionem Plinianam sollicitent, & pro XL. *quinquaginta*, pro *Liviâ Augustâ*, *Divum Augustum* substituunt. in quâ quid cui sit præferendum non adeò proclive est discernere. 3 Sanè iis temporibus magnum crystallo adhuc pretium fuisse vel unius Vedii Pollionis furor ostendit, ad murænas servulum illum damnare cupientis, qui calicem unum crystallinum in 4 præsentiâ Augusti confregerat; vel Neronis Augusti, *cùm amissarum rerum nuncio accepto duos ex eâ materiâ calices in supremâ irâ fregit illisos.* Nostro autem ævo, ut plura alia, sic prodigiosæ glaciei auctoritas eviluit. Par æstimatio Murrhinis circa eadem & inferiora etiam tempora fuit. Eo enim Triumpho, quem ex a. d. III. Kalendas Octob. M. Messallâ, & M. Pisone Coss. magnificentissimum Pompejus duxit,

1 Sueton. Aug. 2 Plin. lib. ult. cap. 2.
3 Dio lib. 54. 4 Plin. ibid. & L. 3. ff. de sup. leg.

duxit, VI. *pocula Murrhina*, [1] *tunc primùm in Urbe conspecta*, Jovi Capitolino dedicavit. quæ tamen conqueritur Plinius à Deorum ministerio *ad hominum usum abiisse protinùs, abacis & vasis escariis indè expetitis.* Unde Martialis lib. XII. ævi istius luxum perstringens:

Si calidum potas, ardenti Murrha Falerno
Convenit, & melior sit sapor ille mero.

Sed quia ex Romano illo Polyhistore (Plinium dico) Gemmarum Capitolinarum Catalogum texere incepimus, non omittenda ex eodem videntur Mentorei operis Toreumata, gemmis quibuscumque & ornatiora & pretiosiora. Ait enim lib. VII. cap. XXXVIII: PHIDIAE *Jovem Olympium cottidiè testimonium perhibuisse.* MENTORI *Capitolinum, & Dianam Ephesiam, quibus fuere consecrata artis ejus vasa.* & lib. XXXIII. cap. penultimo: *Mirum in auro cælando inclaruisse neminem, argento multos: maximè tamen laudatum esse Mentorem. Quatuor paria ab eo omnino facta esse, ac jam nullum exstare dici, cùm Templum Dianæ Ephesiæ ac Capitolium jacerat*

1 Plin. ibid. & lib. 7. cap. 26.

ceret incendiis. * Periêre igitur pretiosissima illa vasa aut incendio Vitelliano, quo Donaria, ejus Templi direpta sunt, [1] quodque in initia imperii Vespasiani incidit (quo Plinius fortè ista commentabatur;) aut postremo illo, quod Tito imperante fortuitò contigisse scriptores [2] adfirmant. Sed quàm irreparabilis eorum vasorum jactura fuerit vel hinc licebit conjecturam facere, quòd L. Crassus Orator duos Scyphos, ejusdem artificis manu cælatos, centumque sestertiis coëmtos *numquàm uti propter verecundiam est ausus.* quasi Deorum tantùm immortalium honori summi artificii ministerium deberetur. Pari æstimatione Amphoræ illæ fictiles, tenuissimæ subtilitatis, de quibus Plinius lib. xxxv. cap. xii: *Hodieque in Templo* [3] *ostenduntur Amphoræ duæ propter tenuitatem consecratæ, discipuli magistrique certamine uter tenuiorem humum*

* Mire hanc citationem interpolat, ut patet in exemplaribus, quam tamen notam habere debuit Harduinus, ne ab verbis divulsis, distractisque & interpolatis hiulcam nec satis cohærentem in libris ad suum usque diem illum vulgatis effici sententiam falsissime exclamaret.

1 Vide Josephum capite superiori.

2 Plutarchus in vita Poplicolæ, Xiphilinus in Tito. Plin. lib. 33. cap. 11.

3 Ita vocatum Capitolium κατ' ἐξοχήν.

mum duceret. In Veteri etiam Inſcriptione legimus : CANTHARUS. EX. JUSSU. JOVI. OPT. MAX. POSITUS. cujus etiam pretium inde conjicimus , quod tam illuſtri in loco offerri juſſus ac conſervari. Receptæ autem jam olim conſuetudinis eſſe vaſa hujuſmodi pretioſa in Templis dicari, factum Furii etiam Dictatoris oſtendit, qui trium ſimul bellorum victor, longè plurimis captivis ſub haſtâ vænundatis, tantum æris redegiſſe dicitur, *ut pretio pro auro Matronis perſoluto, ex eo quod ſupererat Tres Pateras aureas fecerit, quas cum Titulo nominis Camilli ante Capitolium incenſum in Jovis cellâ* , Livius adfirmat, *ante pedes Junonis poſitas fuiſſe.* Ut de Græciæ Delubris nihil dicam : quorum ſumptuoſiſſima Donaria, quà à Græcis ipſis quà Barbaris oblata, eruditiſſimo volumine Pauſanias recenſet. *Quin & cæteros Reges multos, multas liberas civitates, multos privatos, opulentos & potentes viros habuiſſe in animo Capitolium ſic ornare , ut Templi dignitas Imperiique majeſtas poſtulabat*, Cicero adfirmat diſertiſſime lib. IV. in Verrem. idemque graviſſimam Verri criminationem adfert, quòd *Candelabrum è gemmis clariſſimis, opere mirabili perfectum*, dolo malo interverterit : à Regibus Syriæ, Regis Antiochi filiis, Capi-

pitolio destinatum donum. *Erat enim* (inquit) *eo splendore, qui ex clarissimis & plurimis gemmis esse debebat: eâ varietate operum, ut ars certare videretur cum copiâ: eâ magnitudine, ut intelligi posset non ad hominum apparatum sed ad* AMPLISSIMI TEMPLI *ornamentum esse factum.* Quod Syriacum Donarium, privatâ fraude Jovis Capitolini manibus extortum, alterius ex eadem provinciâ sumptuosissimi memoriam renovat: Vitis scilicet aureæ quingentis talentis æstimatæ, nomine [1] τερπωλῆς, ab Aristobulo Magno Pompejo dono missæ. de quo ita Strabo Cappadox apud Josephum: Τοῦτο μέντοι τὸ δῶρον ἱστορήκαμεν καὶ ἡμεῖς ἀνακείμενον ἐν Ῥώμῃ, ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Διὸς τοῦ Καπετωλίου, ἐπιγραφὴν ἔχον: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΤΟΥ. ΤΩΝ. ΙΟΥΔΑΙΩΝ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ἐτιμήθη δ' εἶναι πεντακοσίων ταλάντων. ΑΡΙΣΤΟΒΟΥΛΟΝ μὲν οὖν τοῦτο λέγεται πέμψαι τὸν Ἰουδαίων δυνάστην. Nec dubito quin ad hunc Donariorum luxum respexerit Horatius [2] cùm οὐκ ἄνευ χολῆς ita exclamet:

Vel nos in CAPITOLIUM,
Quò clamor vocat & turba faventium,

Vel

[1] Id est, Oblectamenti. lib. 14. Antiq. cap. 5.
[2] Lib. 3. Od. 24.

Vel nos in mare proximum,
Gemmas & lapides, aurum & inutile,
Summi materiam mali,
Mittamus.

[1] Ovidius etiam, ubi de Antiquâ Quiritium simplicitate:

Frondibus ornabant quæ nunc Capitolia gemmis,
Pascebatque suas ipse Senator oves.

[2] Quamquam intolerabilem illi caussam faciunt Caji Principis qui rem solis Templis, & mundo muliebri hactenus cognitam margaritas (inquam) ad socculos demisit: [3] & Neronis Principis qui sceptra, & personas, & cubicula Viatoria unionibus construebat. Quæ enim luxuria profligatior existimari possit? quæ deterior eorum qui ad alveos lusorios & potoria vasa rem pretiosissimam transtulerunt? quod tamen & Mithradatem [4] Ponticum fecisse legimus, & P. R. usurpassè omnis Veterum eloquentia conquesta est. Cæterùm cui cordi erit similes Gemmarum thesauros à Romanis Principibus in aliis Urbis Delubris consecra-

1 1. Fastor. 2 Sueton. Calig. 3 Plin. lib. 37. 4 Plin. ibid.

cratos, nôsse: is eruditissimi operis Pliniani librum septimum ac trigesimum (si libet) percurrat: ac præcipuè libri ejus caput princeps ad finem. Et hæc quidem de Gemmis præclarissimi Templi: quarum memoriam scriptores conservârunt. Quis autem dubitet quin longè plura & fortè pretiosiora in eo Templo opulentissimi Cæss. Domitianus, Trajanus, Antoninus, alii, κειμήλια deposuerint: quæ scriptores vel multitudinis eorum tædio dissimulârint, vel cottidiani adspectus lassitudine quasi negligentes præterierint?

Caput XXIII.

Occasione superioris capitis de subobscuro LivI loco quæsitum. Videri aliam in cælla Jovis Ædiculam *fuisse Antiquariis omissam:* Victoriæ *forsitan.* Victoria Aurea Hieronis *summæ in Templo dignitatis. aliæ* Bocchi Numidæ *quomodo fingi eæ ac pingi solitæ.* Ara Victoriæ *in Curiâ. Templi* cælla *in tres partes divisa. Alter Taciti locus examinatus.*

Quandoquidem verba suprà M. Tullii retulimus, in queis *multos Reges exteros, multas liberas civitates*, Capitolium P. R. *ornare in animo habuisse* confirmavit; omittere impræsens non possim quin Antiquariorum nostrorum sive ineptiam, sive incuriam obiter accusem: qui subobscurum in Livio locum de Jovis cellâ, vel prætermiserunt; vel si attulerunt, nè perfunctoriè quidem explicare sunt conati. Is est è lib. xxxv. sic conceptis verbis: *De multâ damnato-*

rum Quadrigæ inauratæ in Capitolio positæ, in cællâ Jovis, supra fastigium Ædiculæ. quo equidem in loco diu me torsi, dum quæ ea Ædicula intus cællam esset aliundè investigarem. [1] Elegantissimus Lipsius, in Admirandis, sensisse videtur per Ædiculam ipsam Templi cællam notari: quod certè (pace Manium ejus dictum sit) nimis exile nomen fuerit vastæ ac primariæ cællæ, in tam grandi illo ac capaci tot hominum millium Templo. præsertim cùm grandia ista nomina *Ædis*, *Delubri*, *Templi* à scriptoribus omnibus ei solenniter tributa. Deinde, quomodò supra Fastigium cællæ Quadrigæ illæ esse potuerint, si intra ipsam collocatæ? Ego (ut meam tenebroso loco facem quoque admoveam) observaveram aliquando Vetustiores Templi cællam in tres ferè partes dividere: in πρόναον, sive *Vestibulum* ejus: Varro πρόδρομον * vocat; ἀπόθεσιν, [2] sive *Dei solium*, aut corpus cællæ: *Sessimonium* [3] (ut videtur) Vitruvius adpellat; & ὀπισθόδομον, [4] sive *Postadium* (ut ita dicam

1 Lib. 3. c. 5.

* Πρόδομον opinor voluit, ut est in Varrone.

2 Glossæ Veteres à Vulcanio correctæ.

3 Præfat. lib. 7.

4 Ulpian. Orat. Demosth. contra Timocr. Liv. lib. 27.

cam) posticam ejus partem. Jam in ipsâ cællâ, aut cællæ alis, videntur & minores cællæ sive AEdiculæ fuisse (*Capellas* nos dicimus) in queis minora Deorum simulacra ponerentur. quamvis enim cælla in Templis *non nisi uni Deo ritè consecraretur*; non vetabat tamen Religio quin aliorum Deorum imagines ibi ponerentur: putà ad ornatum ejus Templi aut cultum. Sic enim legimus 1 in cælla Jovis Olympii Gratiarum consortium, opus Phidiæ fuisse positum; & in Delubro Cyziceno, eburneum Jovem coronatum ab Apolline alterius materiæ, & in Templo Apollinis Romæ, ad Porticum Octaviæ, Latonam & Dianam, & Musas novem marmoreas, & alium Apollinem nudum; & in hoc ipso Capitolio Junonis simulacrum in cællâ Jovis fuisse, ad cujus pedes Pateras illas aureas Camillus posuerit. Ut statim meminimus. Forsitan igitur hujusmodi aliquid cavum, aut θολοειδὲς, in Liviano loco intelligendum sit, quod *AEdicula* vocetur: cui AEdiculæ, sive interiori cællæ, Quadrigæ aureæ fuerint impositæ. Cujus autem Dei simulacrum ibi fuerit, difficile putem explicatu, in tanto sacrarum statuarum numero, nisi fortè nobilis ejus *Victoriæ*

Au-

1 In Pausania, Plinio, Livio.

Aureæ, quam Hiero Rex Syracuſanus Capitolio miſerat dedicandam. de quâ idem Scriptor lib. XXII: *Legati Syracuſani ab Hierone miſſi, præter multa alia munera, quibus bella juvari ſolent, ominis cauſſâ* VICTORIAM AUREAM PONDO CCCXX. *adferre ſeſe nunciârunt*. Additque Legationis Formulam: ACCIPERENT. EAM. TENERENTQUE. ET. HABERENT. PROPRIAM. AC. PERPETUAM. & ſubjungit Senatum Romanum, OMINIS. GRATIA. ACCEPTAE. SEDEM. DIVAE. DEDISSE. DICASSE. CAPITOLIUM. TEMPLUM. JOVIS. OPT. MAX. magnâ cum ſpe: IN. EA. ARCE. URBIS. ROMAE. SACRATAM. VOLENTEM. PROPITIAMQUE. FIRMAM. AC. STABILEM. B. R. FORE. Quibus ex verbis adparet magnæ illud Donum venerationi fuiſſe, & non humiliter in Templo conſecratum. conſecratum autem (ut veroſimile eſt) in cællâ Jovis. Meminit ejus muneris P. etiam Victor in Topographiâ [1] Urbicâ, cùm ait: *Victoria aurea in Templo Jovis Opt. Max.* ſed ut antiquioris puto. nam ad ſua tempora incolume permanſiſſe, inter tot incendia ac rapinas, difficulter adducor, ut credam. Forſitan & Prudentius, Apologetico in Symmachum:

Quæ

1 Regione Fori Romani.

Quæ si defuerint, bellantibus AURE A
quamvis
Marmoreo in Templo rutilas VICTORI A
pennas
Explicet, & multis surgat formata metallis
Non aderit.

Alatam certè Capitolinam Victoriam fuisse, præter Numos & Monimenta omnia vetera, quæ alas ei tribuunt, ratione etiam persuadeor ut credam, quam Drepanius Pacatus in Panegyrico proponit: *Rectè* (inquiens) *germana illa pictorum Poetarumque commenta Victoriam finxisse Pennatam, quod hominum cum fortuna euntium non cursus est, sed volatus.* ἄπτερον tamen apud Athenienses Victoriæ signum fuisse, ominis caussâ, testis est Pausanias, nè scilicet commovere sè ex illâ sede posset. quam consuetudinem Romani deinde imitati videri possint testimonio Numi argentei Titiani, * in quo Victoria sine alis spectatur, lævâ corollam Lauream, dextrâ Palmam, insigne suum, ge-

* Ad quem in Croyanis tab. XXIX. n 2. habet hæc eadem interpres. male mox ediderant vel *Apologiæ* in prima editione, vel *Anthopologiæ* in secunda, item χλίον.

gestitans, globo volubili innixa: cum epigraphê: VIC. AUG. & Pompeji cujusdam Veteris Epigrammatarii, cujus in IV. Anthologiæ hoc distichon legitur:

Ῥώμη παμβασίλεια, τεὸν κλέος οὔποτ' ὀλεῖται.
Νίκη γάρ σε φυγεῖν ἄπτερος οὐ δύναται.

Nisi Poëticâ quadam amœnitate excogitatum id arbitremur, quasi ad perpetuas Romanorum Victorias commentum id referendum sit; quod probabilius opinamur. Sed iis quæ de Victoriâ in Cællâ diximus, objiciet fortè aliquis verba Taciti, [1] inter prodigia Othoniani temporis illud quoque numerantis: *In Vestibulo Capitolii omissas bigas cui Victoria institerat*: ergo videri ante Cællam, non in ipsâ, hanc Ædiculam fuisse. Sed & ostendere ego possum plures in hoc ipso Capitolio Victorias dedicatas. scribit enim Plutarchus in Mario, Bocchum Numidam Socium & Amicum P. R. ΝΙΚΑΣ ΤΡΟΠΑΙΟΦΟΡΟΥΣ, [2] καὶ παρ' αὐταῖς ἐν εἰκόσι χρυσαῖς ΙΟΥΓΟΥΡΘΑΝ ἐγχειριζόμενον ὑπ' αὐτοῦ ΣΥΛΛΑ, ibidem posuisse. quas tamen quasi in sui contumeliam positas parum abfuit quin bellicosus ille Arpinas dejiceret. & vix

1 Lib. I. Hist.
2 Exstant etiam in Sullæ vetustis Numis.

vix dubium est quin alias alii Principes aut nationes propter omen P. R. obtulerint; cum vix ullum Romæ atque alibi frequentius in Templis Numen. nam & in manu Deorum, [1] Jovis præcipuè, fingi solitæ, & in eorum sellis pedem fulcire, & pallis intexi, & coronis inseri, & fastigiis imponi. Solemnis autem in vestibulo Curiæ Juliæ Ara hujus Deæ, de quâ Suetonius in Vitâ Augusti, Herodianus extremo lib. VII. Symmachus in epistolâ ad Augg. Fratres, Ambrosius & Prudentius contra Symmachum; Claudianus de VI. Honorii Consulatu, Lampridius in Alexandro Severo. sed hanc, uti & alia ejus Templa (quod ἀπροσδιόνυσα jam sint) aut describenda aliis relinquimus, aut nos ipsi majore otio alibi describemus.

1 Pausa. lib. 5. Porphyr. in ratione Nat. Deor. Liv. lib. 28.

CAPUT XXIV.

Statuæ *in Capitolio Variæ*, Divinæ, & Humanæ. *de istis primùm dictum*, JUPPITER Imperator Prænestinus, & Macedonicus. *Antiquariorum error indicatus, & Tabula Liviana ex Pighio reformata.* Juppiter alter in Columnâ, *fulmine dejectus cùm aliis signis, & restitutus.* Lupa Romuli *etiam inter Deos.* MINERVA CUSTOS *Ciceronis. Minerva* Catuliana. *Dii* Nixii, *vel*, Nixi. Nemesis. * Bona Fortuna. Bonus Eventus. Fortunæ aureæ *in Templis, & cubiculis Principum.*

Dicere incepimus de Statuis, & Signis; itaque filum hoc pertexamus, & quæ Deo-

* Mirum, qui huc irrepserit ea vox, per errorem sine dubio; nam de ea agit in cap. XLIII. ubi in argumento etiam memoratur.

Deorum quæ hominum (præter Tres illos Principes) in Capitolio celebrata ſint, è vetuſtis monimentis proferamus. Præmiſſo tamen nobili illo diſcrimine, quod inter Divinas Humanaſque Statuas, à [1] viris doctis, hactenus adſertur. Videlicet, ut eæ quæ DIs fierent, εἴδωλα dicerentur: quæ Heroïbus, ξόανα: quæ Regibus, ἀνδριάντες: quæ Sapientibus, εἴκελα: quæ benemeritis viris, βρέτα. & horum fere omnium cùm ampliſſimus in Capitolio, & circa illud, numerus olim fuerit, à Deorum tamen Immortalium (quorum prima in ſuis Templis dignatio eſt) ſimulacris initium ſumam. Inter iſta nobile ibi fuiſſe reperio ſignum IOVIS IMPERATORIS, [2] Præneſte circa annum V. C. CCCLXXV. à T. Quinctio Cincinnato advectum, dedicatumque inter cællam Jovis ac Minervæ, Tabulamque ſub eo fixam, monimentum rerum à ſe bene geſtarum, his fermè inciſam litteris:

JUPPITER. ATQ. DI. OMNES. HOC. DEDER. UT. T. QUINCTIUS. DICT. OPPIDA. NOVEM. CAPERET.

1 Guil. Philandro, Aldo Manutio F. Jacobo Gutherio aliis.

2 Liv. lib. 6. P. Victor. Reg 8.

Atque ita quidem vulgò apud Livium: Sed magni vir judicii, & exactæ eruditionis Stephanus Vinandus Pighius, 1 ex Verbis Cincianis apud Festum 2, malè detruncatam esse Inscriptionem & librariorum magis oscitantiâ quàm Livii ipsius errore corruptam rectè arbitratus est, eamque tam ex ipso Livio & Eutropio, quàm Festo Pompejo, in hunc modum reformavit:

JUPPITER. ATQUE. DI. OMNES HOC. DEDER. UT. T. QUINCTIUS. DICT. OPPIDA. NOVEM DIEBUS. IX. CAPERET. X. PRAENESTE. IN. DEDITIONEM ACCIPERET. EARUM. RERUM. ERGO. TRIENTEM. TERTIUM. PONDO. CORONAM. AUREAM

JOVI. D. D.

Dedicatum quoque ab eodem Quinctio alicubi JOVI IMPERATORI Templum ex mutilatis Fastorum verbis, Onuphrius conatur eruere. sed quia testimonium Livianum repugnat, frustra niti diligentissimum aliàs virum existimo. Agnoscit & alterum ejusdem nominis signum Macedonicum, in Capitolio, disertissimus Romanorum lib. IV. in Verrem: *Tria ferebantur* (inquit) *in Orbe Ter-*

1 Lib. 3. Annal. 2 In *Triens*.

Terrarum signa IOVIS IMPERATORIS, *in suo genere pulcerrimè facta. Unum illud Macedonicum, quod in Capitolio videmus. alterum in Ponti ore, & angustius. tertium quod Syracusis ante Verrem Præt. fuit. illud Flamininus ita ex æde sua sustulit, ut in Capitolio, hoc est*, TERRESTRI DOMICILIO IOVIS *poneret.* malè tamen ibi vulgò legitur: *videmus*: pro præterito ipso: *vidimus.* cùm semetipsum Cicero corrigat verbis superioribus: *Si recordari volueritis quanta religione fuerit, eadem specie atque forma signum illud, quod ex Macedonia captum in Capitolio posuerat Flamininus.* in queis ut de corrupto aut amisso eo signo P. C. alloquitur. unde periisse unà cum summo ac primario Jove, primo ejus Templi incendio, [1] sub Sullâ, certò ferè liceat arbitrari. Fuisse autem Prænestinum simulacrum Græco isto longè vilius, vel hinc licebit æstimationem facere, quòd Romanæ pater Eloquentiæ, si artificii elegantiâ, & magisterii venustate, cum tribus illis, à se nominatis, fuisset comparandum; nullâ ratione indictum abire permisisset. quod miror (imò indignor) nulli hactenus Antiquariorum fuisse animadversum. Nam quæ

 Mar-

1 Plutarch. lib. de Iside & Osiride.

Marlianus aliique de Iove isto annotârunt, nive Gallicâ frigidiora sunt, aut (quod dici solet) gerræ Germanæ.

Sequitur alia IOVIS Statua ænea, columnæ superimposita 1 quam M. Tullius, Dio 2 Cassius, I. Obsequens, alii, paullò ante conjurationem Catilinariam fulmine dejectam, & biennio pòst (cùm ea conjuratio detegeretur in Senatu) ibidem restitutam scribunt, non sine prodigio tamen, & Haruspicum cautelâ: *Ut major ea effigies, & facie ad Solem ortum, forumque conversa poneretur.* quæ omnia Urania, cœlestis Musa, versibus apud Ciceronem pauculis complectitur: 3

Atque hæc fixa gravi fato ac fundata teneri,
Nî post 4 excelsum ad culmen formata decorè
Sancta Jovis species claros spectaret in ortus.
Tum fore ut occultos populus, sanctusque Senatus
Cernere conatus posset, si Solis ad ortum

Con-

1 Cicero in Divinat. & 3. Catilin.
2 Lib. 37. 3 1. Divinat.
4 Malè vulgo: *ex cisum ad columen.*

Conversa inde Patrum sedes, populique videret.
Consule te tandem celsa est in sede locata.
Atque una fixi, & signati temporis, hora
Juppiter excelsâ clarabat sceptra columnâ;
Ac clades patriæ, ferro flamâque parata,
Vocibus Allobrogum Patribus populoque patebat.

Addunt Scriptores cum eâ Iovis Statuâ aliorum quoque Deorum, ROMULIQUE & REMI cum æneâ LUPA inauratâ (cujus uberibus inhiabant) statuam quoque Nattæ Pinarii, & æneas Legum Tabulas complures vi fulminis dejectas, aut liquefactas, concidisse. Ut non immeritò de Iove Fulminante sæpius interrogaverit [1] Lucretius:

Postremò cur sancta Deûm Delubra, suasque
Discutit infesto præclaras fulmine sedes?
Et benefacta Deûm frangit simulacra, suisque

1 Lib. 6. & Seneca Nat. Quæst. lib. 2. cap. 42.

Demit imaginibus violento volnere honorem?

Subintellige videlicet, quod præcessit, si fulminum tonitruumque solus ille præses ac director? Sæpe autem Iuppiter è veterum sententia:

[1] *Ipse suos quondam tumulos ac Templa petivit,*

Et Capitolinis injecit sedibus igneis.

Quod tamen quoties accidit, numquàm sine omine est habitum, ut suo tempore ostendam. Simile ferè Lucretiano argumentum D. Hieronymi, in epistola ad Marcellam, de Templo Bethleemitico: *Sanctior locus est Rupe Tarpeja, quæ de cælo sæpiùs fulminata ostendit, quod Deo displiceat.* Nunc verò in sanctiore illo Capitolio, id est, ab omni veterum impuritate ac superstitione purgato, AEneum adhuc inauratum Lupæ infantium nutricis, simulacrum spectatur, fulminis πληγὴν in crure * hiulcam ostendens: quale nos adpinximus, & ab Uraniâ Tullianâ describitur, his verbis: [2]

Heic

1 Cicero in divinat.

* Sed Cicero Catilin. III. ait tactum fuisse ipsum Romulum.

2 2. de Conf. ad Q. fratrem.



Heic silvestris erat Romani nominis altrix
Martia, quæ parvos Mavortis semine natos
Uberibus gravidis, vitali rore rigabat.
Quæ tum cum pueris flamato fulminis ictu
Concidit, atque avulsa pedum vestigia liquit.

De simili Lupâ, ad Ficum Ruminalem positâ, Livius lib. IX. in AEdilitate Ogulniorum: *Jovemque in culmine (* Capitolii *) cum Quadrigis, & ad Ficum Ruminalem, simulacra infantium, conditorum Urbis, sub Uberi-*

bus Lupæ posuerunt. Non desunt qui hanc ipsam esse putent, quam adpinximus, quæ è Comitio in Basilicam Lateranam, cum nonnullis aliis Antiquitatum reliquiis, atque hinc in Capitolium posteà relata sit. quamvis Marlianus antiquam Capitolinam esse malit à Tullio descriptam, cui, ut in re nimis dubia, trepidè adsentimur.

Videtur quidem semper istius animalis simulacrum aliquod in Capitolio stetisse, conditione vel supra humanam venerandâ. quod Lactantius adfirmat libro de falsa Religione: [1] *Romuli* (inquit) *nutrix* LUPA *honoribus est adfecta divinis. & ferrem si id animal ipsum fuisset, cujus figuram gerit; auctor est Livius Laurentiæ esse simulacrum, & quidem non corporis, sed mentis & morum.* Eam adorare videatur Romanus Callimachus sub initium lib. IV:

Optima nutricum nostris, LUPA MARTIA, *rebus*
Qualia creverunt mœnia lacte tuo!
Mœnia namque pio conor disponere versu,
Hei mihi, quod nostro est parvus in ore sonus!

Egregiè autem Parentis sui & conditoris honori

1 Lib. I. c. 20.

nori consuluêre Romani, quùm dissimulatis fortuitæ, sed impuræ ejus nutriculæ officiis, sub artificioso excogitati animalis schemate rem pudendam obtexerunt.

Omissâ tamen sive *Laurentia*, sive *Lupa*, ad Virginalem Divam transibimus MINERVAM ΠΟΛΙΟΥΧΟΝ, aut CUSTODEM URBIS M. TullI Ciceronis, [1] quam is domesticâ religione apud se diu cultam, Tribunitio demùm æstu in exilium compulsus, sub ipsum discessionis tempus, in Capitolium tulit. Eam ipsemet Cicero veneratur in fine Orationis *pro domo sua ad Pontifices*, & in epistòlâ ad Cornificium, *decrevisse Senatum*, scribit, *ut* MINERVA *sua* CUSTOS URBIS, *quam turbo* (heu! infesto nimis omine) *dejecerat, restitueretur*. Dignum certè Monimentum quod à Romanæ Eloquentiæ parente positum, in illâ Arce Romani Imperii, invito Barbarorum furore perennaret.

Erat & altera MINERVA non incelebris ibi nominis, non in ipso quidem Templo, sed juxtà (ut videtur) à Q. Catulo posita. de quâ Plinius lib. XXXIV: [2] Euphranoris est Minerva Romæ, quæ dicitur CATULIANA, *infra Capitolium à Q. Catulo dicata.*

1 Plut. in Cicerone. Dio lib. 36. Cic. 2. de legib.
2 Cap. 8.

eam adfirmare licet æneam fuisse, cùm de laudatissimis æris opificibus eo capite sermonem Plinius instituat.

Fuêre etiam ante cællam Minervæ NIXI DI (quos corruptè NOXIOS vel NIXIOS alii adpellant) de quibus ita Festus Pompejus: [1] NIXI DI *appellantur tria signa in Capitolio, ante cellam Minervæ genibus nixa, velut præsidentes parientium nixibus, quæ signa sunt qui memoriæ prodiderunt Antiocho Rege Syriæ superato, M'. Acilium subtracta à P. R. adportasse, atque ubi sunt posuisse. etiam, qui capta Corintho advecta huc, quæ ibi subjecta fuerint mensæ.* Festi autoritatem juvat etiam Nonius verbis à Lipsio [2] castigatis: *Enixæ dicuntur fœminæ nitendi, hoc est, conandi & dolendi labore persunctæ, à Nixis, quæ Relligionum genera parientibus prosunt.* Videntur itaque specie laborantium aut onus ferentium ficti, quales in porticibus transmarinis [3] Caryatides, aut Barbari captivi ponebantur, sustinendis epistyliis. AEreos quoque fuisse *Nixos* putaverim, eo maximè argumento, quòd Corintho advectos quidam tradiderint: quam civitatem notissimum est

æs,

1 Hac voce. 2 Antiq. lect. cap. 17.
3 Vitruv. lib. 1.

æs nobile, atque æris artifices præſtantiſſimos habuiſſe.

BONAM etiam FORTUNAM unà cum BONO EVENTU *marmoreas Praxitelii operis Statuas* in Capitolio obſervavit Plinius libro XXXVI. c. V. nec abſurdâ quidem conjunctione: cùm *Eveniſſe aliquid, non niſi in Bonis diceretur.* quò reſpexiſſe putat Comicum Afrum Donatus, ad iſta Hecyræ verba:

—— Hunc videre ſemper optavimus diem
quòm ex te eſſet aliquis qui te appellaret patrem.
EVENIT: *habeo gratiam Diis.*

Sed num in ipſo Jovis hæc ſimulacra poſita, an *Fortunarum* potiùs *Capitolinarum* aliquo Templo? ſanè ambigo: neque etiam ſine ratione. cùm in Tacito legamus, [1] ob natam Neroni è Poppæâ filiolam, inter alios honores decretum: *ut Fortunarum effigies aureæ in ſolio Capitolini Jovis collocarentur.* Unde fortaſſè natum ut Principes (qui omnia ſenſim Deorum ornamenta ſibi adſumebant) Fortunam etiam auream [2] in cubiculis apud ſe repoſitam haberent. Illud autem, quod in Præneſtinæ Fortunæ arâ legitur apud Gruterum paginâ LXXII:

1 Ann. 15. 2 Vide infrà cap. 43.

TU. QUAE. TARPEIO. COLERIS. VICINA. TONANTI
VOTORUM. VINDEX. SEMPER FORTUNA. MEORUM

nullam dubitationem habet quin ad FORTUNAM PRIMIGENIAM referendum ſit: cujus AEdem in colle Tarpejo Servius Tullius exſtruxit, cum alterâ ejuſdem OBSEQUENTIS: auctore Plutarcho, in libello ſingulari de Fortunâ P. R. quemadmodùm & interpretandus Cato Cenſorius apud Ciceronem, [1] in Officiis, cùm ait: FIDEM *in Capitolio vicinam Jovis Opt. Max. majores eſſe voluiſſe.* non quod in ipſo Templo, ſed viciniâ ejus, in peculiari ſibi æde, eſſet dedicata. De Templo autem BONI EVENTUS quod in Regione IX. Circi Flaminii, ita habet Ammianus lib. XXIX. *Claudianus Urbis Præfectus Porticum excitavit ingentem Lavacro Agrippæ contiguam*, EVENTUS BONI *cognominatam, eâ re quòd hujus nominis propè viſitur Templum.* Hujus etiam Numinis Galbæ & Titi Impp. Numi, quos vidimus, inſcriptionem continebant.

1 Lib. 3.

CA-

Caput XXV.

Statuæ Divinæ Colosseæ, *& earum origo.* Pagodi *Chinenses. Juppiter* Carvilianus *in Capitolio. Plinii locus examinatus de Jove* Latiario *aut* Latiari. *ejus à* Latiali *discrimen ostensum. Petri Fabri error circa signum Carvilianum. Hercules* Tarentinus, *Apollo* Apolloniates. Capita *duo* Colossea *à Lentulo dicata. De capite æneo hodierno Capitolii quæsitum.* Colossi Augusti, Neronis, Commodi, Solis. *Sacellum Jovis ad Colossum. Illustris Claudiani locus explicatus, alter LivI emendatus.* Substructiones *Capitolinæ.*

Magnam circa Capitolium, (fortasse in ipsâ Templi areâ) Statuæ Deorum Colosseæ admirationem merebantur. Excogitatæ enim insanis sumptibus moles istæ

istæ immanes, ab AEgyptiis primùm ad Græcos, à Græcis verò (quasi contagione quâdam) ad Romanos pervenerunt. Sed & Indos hodie Chinenses admirandæ magnitudinis statuas Pagodos in insulâ Zeylam constituisse ferunt, 1 qui eum tractum Orbis aliquando navigarunt. Primum in Capitolio Colossum statutum invenio IOVEM, à SP. CARVILLIO MAXIMO, 2 *victis Samnitibus sacratâ lege pugnantibus*, 3 æreum (opinor) *è pectoralibus eorum, ocreisque & galeis. amplitudine*, secundum Plinium, *tantâ ut conspiceretur à Latiario Jove: & de Reliquiis limæ ejus statua efficeretur, quæ erat ante pedes simulacri ejus.* sic ferè in Plinio, in cujus tamen verbis illud cognomentum *Jovis Latiarii* omninò improbo. quo enim res adeò magna aut annotatione digna, ab Amphitheatro Flavio (quod in capite Viæ sacræ, & in quo Sacellum sanguinarii hujus Jovis) Colossum Capitolinum, turri parem, conspicuum fuisse? Eò magis quòd à Plinio inter portentosæ horrendæque magnitudinis simulacra Juppiter iste nominetur? Suspicor itaque corrigendum mendum: *Latiali Jove*, ut scilicet è monte Al-

ba-

1 Caspar Balbus, & alii. 2 Plin. lib. 34. c. 7.
3 Vide Livium in fine lib. 10.

bano [1] (in quo hujus Jovis AEdis celebrata eſt) Coloſſus Carvilii videretur. quod omninò ſic inter prodigioſa atque ſtupenda referri meretur ac obſervari. Fuiſſe autem LATIARIUM IOVEM, aut LATIAREM, à LATIALI diverſum (quia multis ea res parùm obſervata erroris occaſionem præbuit) teſtimoniis aliquot veterum evincam. Ac primùm Minucii Felicis, Octavio, in verbis iterùm recitatis: *Juppiter cùm Hammon dicitur, habet cornua: & cùm Capitolinus, tunc gerit fulmina: & cùm* LATIARIS, *cruore perfunditur.* cujus autem cruore? O dedecus ſuperſtitioſæ Urbis! hominis unius ad beſtias damnati. Eò enim ſpectant verba Tertulliani, in Apologetico: *Ecce in illâ Urbe religioſiſſimâ AEneadarum eſt Juppiter quidam, quem ludis ſuis humano proluunt ſanguine. ſed Beſtiarii (inquitis) opinor, hoc minus quàm hominis. an hoc turpius, quod mali hominis? at certè de homicidio funditur.* Ubi

1 Cicero in Miloniana. Lucan. lib 1. Strabo lib. 5.*

* Is ſatis notus. Verum Latiarius Jupiter non alius illo intelligitur ab Harduino, appoſitis Ciceronis & Lucani verbis quoque, ubi Latialis nominatur. Quod quum neget Rycquius fieri debere, quid habet, quod reſpondeat? interim uterque ſtrenue errant: & recte ab Alex. Donato in Plinio intelligitur Jupiter Latiarius in Quirinali cultus lib. 11. cap. 7.

Ubi quidem non nominat illum, ſed Jovem eumdem eſſe, quem diximus, Euſebius oſtendit IV. de Præpar. Euangelicâ, [1] cùm ait: Ἀλλ᾽ ἔτι καὶ νῦν τίς ἀγνοεῖ, κατὰ τὴν μεγάλην πόλιν, τῇ τοῦ ΛΑΤΙΑΡΙΟΥ Διὸς ἑορτῇ σφαζόμενον ἄνθρωπον; Ubi interpres, LATINI JOVIS reddiderat, inepte ſane, & imperitè; cum *Latiarium* aut *Latiarem* reddere debuiſſet. ſic etiam corrigendi Lactantius lib. I. c. XXI. & Arnobius lib. VII. in queis iſtud nomen corruptum pariter habetur. JOVI LATIARI Ludi Gladiatorii curæ erant, quemadmodum LATIALI Feriæ Latinæ. de iſto Pius vates adverſus Symmachum:

[2] *Funditur humanus* LATIARI *in munere ſanguis,*
Conſeſſuſque ille ſpectantûm ſolvit ad aram
Plutonis fera vota ſui.

Plutonem enim quidam hunc eſſe exiſtimârunt: *Latinum* Regem alii, uti Feſtus in *Oſcillo*. De [3] Latiali ſacro in monte Albano, ejuſque feriis notiora ſunt omnia, quàm

1 Eadem habet Porphyrius περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων lib. 2.

2 Prudent. lib. 2.

3 Videndus ante omnes Sigon. lib. de Antiq. Jure civ. Rom.

quàm ut laborem iis explicandis insumere debeam. Itaque ad Colossos Capitolinos revertor, & Carvilianum Jovem. in quo miror allucinatum fuisse V. CL. Petrum Fabrum lib. III. Semestrium c. IV. eumdem hunc cum summo CAPITOLINO JOVE existimantem, quem Vitelliani milites, incenso ejus Templo, apud Philostratum oppugnant lib. V. ApollonI sui Tyanæi. cùm ille non æneus, vel marmoreus, sed eburneus vel aureus verosimiliter fuerit. quod suprâ [1] quærebamus. Adhæc CAPITOLINUS intra cællam suam positus ab astantibus, aut propè accedentibus, conspici tantum potuit; Templi enim alæ sive latera omnem eminus adspectum auferebant. cum tamen Carvilianum signum Plinius ab Amphitheatro commodè conspectum, (si vulgatam lectionem sequimur, quam sequendam non puto) vel (uti nos correximus) è monte Albano videri potuisse, adnotaverit. Sed heic & alibi cecidit doctissimus ille vir: cadam etiam ego, & , ut Laberianus Mimus habet:

—— *cadet qui sequitur. Laus est publica.*

Venio ad alterum inibi Colossum HERCULEM

1 Cap. 18.

LEM TARENTINUM. is eſt quem, captâ Urbe Tarento, Fabius Maximus Verrucoſus in Capitolio, juxta ſtatuam ſuam æneam equeſtrem, collocavit: autore Plutarcho in Fabio, Plinio lib. XXXIV. c. VII. Strabone lib. VI. & Auctore de Viris illuſtribus. Lyſippi opus æreum fuiſſe iidem ſcriptores adfirmant, & à Verrucoſo tanquam Victoriæ ſuæ monimentum aſportatum; cùm Jovem, qui in eadem Urbe erat LX. cubitorum, propter magnitudinem difficultatemque moliendi, attingere non auderet; quem tamen ſuſpicor ab Auguſto poſteà in Urbem advectum. nam ſacelli Capitolini ad Jovis Coloſſum, [1] à ſe fortè poſitum, ab Auguſto Strabo meminit lib. XIV. Livius nihil hujus rei ſcribit, quod miror, hoc tantum adnotans: *Fabium interroganti ſcribæ: quid fieri de ſignis vellet (quos,* ait *ingentis magnitudinis Deos eſſe, ſuo quemque ha-*

1 Meminit alterius Jovis Coloſſi P. Victor in Reg. Urb. X. *

* Sed quid hæc verba velint, parum ſcio. Cur enim forte poſitus? quid a ſe? Strabo ſcribit pag. 637. quum in Heræo Joniæ fuiſſent τρία Μύρωνος ἔργα κολοσσικὰ, Minervam & Herculem ab Auguſto repoſita, Jovem vero tranſlatum in Capitolium, quum removiſſet inde omnia tria Antonius.

habitu in modum pugnantium formatos) *Deos iratos Tarentinis relinqui jußisse.* qui tamen auctor lib. IX. in rebus ſub L. Poſtumio & Ti. Minucio Augurino Coſſ. geſtis hoc etiam obſervavit: *Soram, Arpinum, Cenſenniam à Samnitibus recepta.* &, *Herculis magnum ſimulacrum in Capitolio poſitum, dicatumque.* Fuêre ii Coſſ. (ut ex Faſtis adparet) anno P. R. C. CDLXVIII. cùm Urbs Tarentina integro ferè poſteà ſæculo (ut ex iiſdem Faſtis apparet) Verrucoſo prodita legatur, anno videlicet V. C. DXLIV. Ut vel de alio Herculis ſimulacro Livium loqui neceſſe ſit; vel in dedicatione ejus annotandâ μνημονικὸν ἁμάρτημα commiſerit. De iſto fortaſſè Hercule intelligendus Dio, in Prodigiis anni DCCVII. *Inter alia prodigia apes quoque in Capitolio juxta Herculis ſtatuam ſedem occupavêre, quùm Iſidi ſacra fierent.* & inſcriptio Vetus, quæ in ipſa Urbe legitur:

POMPEIUS. APPIUS. FAUSTINUS
V. C. PR. VR. N. DD. FELICITER
IN. CAPITOLIO. HERCULI. VICTORI
POLLENTI. POTENTI. INVICTO
DONUM. DEDIT
LIB. MER.

Quemadmodum & Ara quædam in Capitolio

tolio etiamnum conſiſtens, cujus ἐπιγρα-φὴν iſtam deſcripſimus:

TE. PRECOR. ALCIDE. SACRIS INVICTE. PERACTIS
RITE. TUIS. LAETUS. DONA. FERENS. MERITIS.
HAEC. TIBI. NOSTRA. POTEST. TENUIS. PERFERRE. CAMENA
NAM. GRATES. DIGNAS. TU. POTES. EFFICERE.
SUME. LIBENS. SIMULACRA. TUIS QUAE. MUNERA. CILO
ARIS. URBANUS. DEDICAT. IPSE. SACRIS

Exiſtimo autem ſacellum ibi fuiſſe, quò Donaria Herculi inferrent: quale, ad Jovis Coloſſum alterum, in Capitolio factum abs D. Auguſto, jam adnotavimus. Præter Joves iſtos atque Herculem, APOLLO APOLLONIATES magni ibi nominis fuit. de quo Plinius libro dicto: *Moles quippe excogitatas videmus ſtatuarum, quas* COLOSSOS *vocant, turribus pares. Talis eſt in Capitolio Apollo tranſlatus à M. Lucullo, ex Apolloniâ, Ponti Urbe*, XXX. *cubitorum, quingentis talentis factus.* ô immenſum atque incredibilem ſumptum! ſed tantum libri Vett. Mss. ſuggerunt; non eam ſummam vulgatam: *centum quin-*

quinquaginta. quod Dalechampii fide annotamus. Magni autem Colossi hujus marmorea quædam σπαράγματα sunt etiamnum qui in Capitolio spectari velint. 1 Habuerunt in eodem Capitolio admirationem & capita duo quæ P. Lentulus Cos. dicavit: alterum à Charete Lyndio, Lysippi discipulo, factum; alterum à Decio. *comparatione in tantum victo, ut artificium minimè probabilis artificis videretur.* Tale etiam caput ex Colosso æneo, ab injuriâ temporum servatum, in areâ Capitolinâ S. P. Q. R. collocari nuper jussit. ut veterum istorum decorum aliquam velut umbram aut imaginem in nobilissimo amplissimoque loco adhuc ostenderet. Bartholomæus Marlianus, 2 atque alii, è Commodiano Colosso id esse putant, de quo Lampridius in Commodo: *Colossi caput depreßit. quod erat Neronis, ac suum imposuit, & titulum more solito subscripsit.* AEl. tamen Spartianus D. Hadrianum mavult depositâ Neronis effigie simulacrum istud Soli consecrasse, & XXIV. Elephantis adhibitis, per Detrianum architectum, è loco suo commovisse. Is fuit (ni fallor) nobilis Colossus, de quo Martialis in libro Spectaculorum Titi, & lib. 1. Epig. at-

1 Plin. ibid. 2 Lib. 2. c. 9.

atque alibi. & P. Victor in Regione Urbis IV. *quem altum fuisse* (ait) *pedes centum & duos, cum dimidio : habentem in capite radios septem, singulos pedum viginti duorum & semis* : quamvis de longitudine Eusebius, Cassiodorus, aliique varient. quòd si fides Publio tribuenda quoad radiorum magnitudinem, vereor nè apud Capitolinum istud caput longè minutius atque exilius reperiatur, quàm ut concinnitatem aliquam aut venustatem tanto simulacro adferre potuerit. Sed hoc Marlianus ipse viderit. Ego coronidis vicem illustrem CL. Claudiani locum adscribam, in quo *Colossi* isti & reliqua Tarpejæ arcis decora, velut in tabellâ quadam nobili expressa pinguntur. Is est in Panegyri ad VI. HonorI consulatum:

Attollens apicem subjectis REGIA *Rostris*
Tot circum DELUBRA *videt, tantisque* DEORUM
Cingitur excubiis. juvat intra tecta TONANTIS
Cernere TARPEJA *pendentes* RUPE GIGANTES,
CAELATASQ. FORES, *mediisque* VOLANTIA SIGNA

Nu-

Nubibus, & densum STIPANTIBUS *æthera* TEMPLIS:
AERAQUE *vestitis* NUMEROSA PUPPE COLUMNIS
Consita, subnixasque JUGIS IMMANIBUS AEDES
Naturam cumulante manu: Spoliisque MICANTES
INNUMEROS ARCUS. *acies stupet* IGNE METALLI,
Et circumfuso trepidans obtunditur AURO.

quibus in verbis ut omnia ferè hactenus à nobis dicta aut dicenda uno eodemque succincto elogio complexus est; sic in istis,

—— *subnixasque jugis immanibus ædes.*

aut ad substructionem Tarquinianam respexit, de quâ suprà capite IX. & sequentibus egimus copiosè; aut Tribunitiam alteram, de quâ Livius lib. VI. CAPITOLIUM *quoque* SAXO QUADRATO *substructum est*, OPUS *vel in hâc Magnificentiâ Urbis* CONSPICIENDUM. vel demum censoriam, de quâ idem scriptor lib. XXXVII. * *Censores Romæ T. Quinctius Flamininus & M. Claudius Marcellus substructionem super Æquimelium, & in Capitolio, & viam silice sternendam à Portâ Capenâ ad Martis* M *loca-*

* Est lib. XXXVIII cap. 28.

locaverunt. ſic enim totum iſtum locum conſtituo; variè in exemplaribus luxatum corruptumque. Cætera ſuo quæque loco atque ordine deinceps exſecuturus.

CAPUT XXVI.

De Statuis & Signis Humanis *dictum. Diverſa horum materia & forma.* Regum Statuæ *ſine tunicis.* Statuæ Togatæ *quæ.* PHILIPPI RUBENI V.C. *mors deplorata. Inter Reges ſtatua* L. Bruti & Cæſaris. *Honos Imaginis in cællâ Jovis quibus olim permiſſus.* Æneæ, Deauratæ, Aureæ, & Argenteæ *ſtatuæ Impp. Aliæ Virorum Triumphalium juxta Templum. Turma* Inauratarum Equeſtrium. *Cenſores & Pontifices nimia ſigna interdum amoliti. Cicero & Trebellius explicati: vulgata apud Nonium lectio defenſa.*

Fuêre in Capitolio (quemadmodum & in reliquâ Urbe) uti diverſa Materia, ſic diverſi

versi etiam habitus Humanarum Statuarum. [1] Nam illa pro majestate operis aut opulentiâ dedicantis sic variabatur, ut interdum *Fictiles*, *Ligneæ*, *Eburneæ*, *Marmoreæ*; interdum [2] *Gemmeæ*, *Aureæ*, *Argenteæ*, *Æreæ*: eæque vel *Simplices*, vel *Inauratæ* fierent. Hi verò κτ̀ τὸ πρέπον sic differebant, ut prout quisque vel Magistratum gessisset, vel Sacerdotium obtinuisset, vel benè de R. P. (quà bello, quà pace) esset meritus, sua etiam insignia, suaque ornamenta in simulacris retineret. Inde natæ *Pedestres* primùm Statuæ, Regum Principumque: *Sessiles* deinde Magistratuum ac Sacerdotum, mox *Equestres* & *Triumphales* Ducum atque Imperatorum. Quarum omnium cùm in Capitolino Templo numerum ingentem fuisse ex Veterum Commentariis liceat opinari; uno etiam capite complectar omnia; hoc est εἰς μίαν μύκονον congeram, quidquid de Capitolii signis, sive Satuis, tumultuariâ lectione adhuc nobis observatum.

Regiæ Statuæ uti antiquissimæ in Capitolio, sic primæ nobis memorandæ. De iis

1 Plin. lib. 33. 34. & alibi. Cassiodor. lib. 7. Variar.
2 Ex ebeno etiam & electro. Artemidor. lib. 2. cap. 44. Plin. lib. 34. cap. 6.

Pædianus [1] eleganti loco: *Cato Prætor judicium quia æstate agebatur sine tunicâ exercuit, campestri sub togâ cinctus: in forum quoque sic descendebat jusque dicebat. idque* [2] *repererat ex vetere consuetudine: secundum quam & Romuli ætatis* * *statuæ in Capitolio, & in Rostris* Camilli *fuere Togatæ sine tunicis.* quibus similia ferè Plinius lib. XXXIV. cap. V. *Togatas* autem *Statuas* in Etymologico describit Isidorus, [3] his verbis: *Toga dicta quod velamento suo corpus tegat, atque operiat. est autem pallium purum formâ rotundâ, & fusiore atque inundante sinu & sub dextro veniens super humerum sinistrum ponitur. cujus similitudinem in operimentis simulacrorum vel picturarum adspicimus, easque* STATUAS TOGATAS *vocamus.* Hujusmodi autem Statuas, sed cum tunicis tamen, id est, ævi recentioris, illustrandæ rei literariæ Romanæ è veteribus monimentis delineatas proposuit in Electis suis [4] nuper PHILIPPUS RUBENIUS. Ille (inquam) RUBENIUS, *Juventutis* eheu! *Belgicæ brevis & infaustus amor.* cujus memoriam quotiens recolo, totiens & suavissimi amici

1 In Orat. pro M. Scauro. 2 Al. *repetierat.*
* Satis constat *ac Tatii* legendum.
3 Quæ ille ex veteri Persii Scholiaste, sive is Cornutus, sive quis alius. 4 Lib. 1. cap. 17.

amici, & præclariſſimi hominis jacturâ non poſſum toto animo non commoveri. Etſi enim crudo fato videri nobis non debeat ſubreptus, ſi dictum illud Poſidonii conſideramus apud Senecam: *Unum diem hominum eruditorum plus patere, quàm imperiti longisſimam ætatem*; dolendum tamen eſt tam iniquè cum rebus humanis eſſe comparatum, ut optima quæque, velut nauſeabunda, è terris hinc ad cælos ſtatim transvolent; pesſima autem omnia contrariâ lege, ad faſtidium uſque, nobiſcum maneant atque perdurent. Verùm quod ait Sapientiſſimus Tragicus,

Τὰ Θεῶν ὅτω βϐλόμϑμ' ἔςαι. -

quos incuſare uti impietatis eſſet ſummæ, ſic mentis etiam ad Philoſophiam parùm compoſitæ atque caſtigatæ:

—— Terreſtria quando
Mortaleis animos vivunt ſortita; neque ulli eſt,
Aut magno aut parvo, lethi fuga.

Itaque à Libitinæ Leſſu & Næniâ in Capitolium, ad Regias Statuas, revertor. Quas æreas fuiſſe ex Plutarcho [1] licet affirmare, qui talem L. Bruti, *mediam inter Regias, ſtrictum gladium exſerentem* agnoſcit. quare pro omine

M 3 ha-

1 In.M. Bruto.

habitum adſerit Dio, [1] Cæſ. Julium ex ære pariter (ut veroſimile eſt) prope minacem illam ſtatuam fuiſſe collocatum. Præter Regias conſpicuæ etiam multæ Virorum Illuſtrium aut Triumphalium: queis ob eximiam virtutem locus in ipſo Templo, aut circa illud, adſignatus. Prior ille honos uni (quod ſciam) Africano, ante Cæſ. ætatem, Romæ habitus: [2] *cui* (teſte Valerio) *ſoli inſtar atrii Capitolium erat.* idque eam maximè ob cauſſam quòd ſuperſtitioſâ quâdam opinione Jove natus crederetur; qua de re idem Valerius lib. I. c. II. [3] & Silius in Epilogo belli Punici:

> *Nec verò quùm te memorat de ſtirpe Deorum*
> *Prolem Tarpeï mentitur Roma Tonantis.*

quem tamen, ex Gracchana apud Livium Oratione conſtat, [4] *præ modeſtiâ prohibuiſſe ſtatuas ſibi in Comitio, in Roſtris, in Curiâ, in Capitolio, in cælla Jovis poni.* Etiam: *nè decerneretur ut imago ſua Triumphali ornatu è Templo J. O. M. exiret.* [5] quod fieri tamen ſolitum refert Valerius, *quotienſcunque funus aliquod Corneliæ gentis celebrandum eſſet.* Sed

1 Lib. 43. Sueton. Cæſ. c. 76. 2 Lib. 8. c. 15.
3 Sext. etiam Aurel. in Elogio Scipionis.
4 Lib. 38. 5 Ibidem.

Sed is honor (ut Divina paullatim omnia) cum Impp. etiam aliis quà in Templo Jovis Olympii, in Elide; quà Capitolini, [1] in Urbe dein communicatus. Ipſe enim Imperii auctor & metator Cæſar [2] Statuam in Capitolio *aneam globo Orbis Terrarum inſiſtentem habuit*, cum inſcriptione SEMIDEI, ex S. C^to^. poſitam: *Currumque in calla Jovis adverſus Deum ipſum ſpectantem*; in quo nomen tamen ΗΜΙΘΕΟΥ, aut SEMIDEI, peracto de Pompejo Triumpho, (quia id faſtuoſius videbatur) eradendum curavit. Sed & hoc defuncto illi mox Auguſtus filius reddidit, teſte Bæbio Macro, cujus verba à Scaligero [3] F. laudantur: *Circa horam octavam ſtella amplisſima, quaſi Lemniſcatis coronata orta eſt, quam quidam ad illuſtrandam gloriam Cæſaris juvenis pertinere exiſtimabant. Ipſe animam patris ſui eſſe voluit,*

 eique

1 Pauſan. 5. Eliac. 2 Dio lib. 34 *

* Ubi bis ſcribit iſte auctor ἐπὶ εἰκόνα τῆς οἰκουμένης.

3 Notis in Propertium. ‡

‡ Ea verba ſenſum non habent. Etiam in Scaligerianis ad Propertium habetur *lemniſcata corona*, quæ perſpicua lectio. Sed ego miror, cur Scaliger præferre voluerit ſe ex Bæbio Macro hauſiſſe potius quam ex Servio ad eclogam nonam, ut facit interpres nummorum Ducis Croyani ad tabulam nonam, citante id fragmentum ex Bæbio.

eique in Capitolio ſtatuam, ſuper caput aureum ſtellam habentem, poſuit. inſcriptum in baſi fuit: KAICAPI. HMIΘEΩ. Ipſius etiam Auguſti ſtatuam in Capitolio agnoſcit Dio. 1 in cujus Baſi prodigium factum ſit prioris ἐν τῷ CAESAR litteræ diſpunctæ. In quo modeſtiam Tiberii 2 Suetonius laudavit, qui ſtatuas atque imagines eâ tantum conditione ſibi fieri promiſit: *Ne inter ſimulacra Deorum, ſed inter ornamenta ædium ponerentur*. A quo, immane! quantum diverſus abierit ambitioſiſſimus princeps Domitianus, cujus in hac re inſolentiam intolerabilem Plinius Orator proponit, his verbis: *At paullo antè* ADITUS *omnes* (de Templo Capitolino loquitur) *omnes* GRADUS, *totaque* AREA, *hinc* AURO, *hinc* ARGENTO *relucebat: ſeu potius, polluebatur. cùm inceſti Principis ſtatuis permixta Deorum ſimulacra ſorderent*. ſic tamen Panegyriſtes ſuperiorem illum Cæſarem vituperat, ut Trajanum ſuum vehementiùs laudet: *cujus una aut altera tantum ænea ſtatua, atque ea in veſtibulo Templi ſpectabatur*. quaſi Tiberianam Modeſtiam (ſed meliore fide) optimus & laudatiſſimus Princeps

1 Lib. 56. & Sueton. Aug.
2 Cap. 26. ejus vitæ.

ceps exprimeret. Aureæ autem Argenteæque ſtatuæ ſervili Cæſſ. ætate Romæ primùm uſurpari cœptæ, cùm Romani hactenus Principes Æneas, ad ſummum Inauratas ſibi poni permiſiſſent. Apud Græcos vulgatior hæc licentia fuit. apud quos jam olim Gorgias Leontinus, [1] ex mercede oratoriâ, auream ſtatuam ſolidam habuerat. Primus Romanorum ex Argento videtur Auguſtus habuiſſe, qui quàm ægrè eas admiſerit vel cognoſcere hinc licet, [2] quod *conflari* ſtatim *juſſerit*, *& Apollini Palatino auratas cortinas indè dedicarit.* Succeſſorum ejus hac in re ambitionem, aut conniventiam, Veteres maximè Inſcriptiones produnt, in queis STATUAE. TI. CLAUDI. CAESARIS. AUG. GERMANICI. EX. AURO. P. XV. formatæ leguntur. quemadmodum & VESPASIANOR. CAES. HONORI. EX. AURO. P. X. Domitiani [3] certè tantam in hac re φιλοτιμίαν Annales produnt, ut, *Statuas ſibi in Capitolio non niſi aureas, argenteaſque poni permiſerit, ac ponderis certi.*

 quod

1 Plin. lib. 34. Cic. 3. de Or.

2 Sueton. Aug. 3 Sueton. Domit. cap. 13. Dio lib. 67. & Xiphilin. *

* In Dionis illo loco hæc exſtant verba. Τοσαῦτα δὲ αὐτῷ ἐψηφίσθη, ὥστε πᾶσαν ὀλίγου δεῖν τὴν οἰκουμένην τὴν ὑπ' αὐτὸν οὖσαν εἰκόνων αὐτοῦ καὶ ἀνδριάντων καὶ ἀργυρῶν καὶ χρυσῶν ἐμπλησθῆναι.

quod Edictum publicatum vult etiam Dio Cassius per totum orbem Romanum. Pondus autem, quod illi dissimulant, expressum putat Lipsius in verbis Statianis: [1]

Da Capitolinis Æternum sedibus Aurum,
Quò niteant sacri CENTENO PONDERE *vultus*
CAESARIS.

ut non nisi *Centum Pondo*, purioris metalli, dicare illi statuam liceret. cujus conjecturæ & nos assentimur. De pessimo Principe Nerone (quod miremur) Tacitus adnotavit, initio Imperii [2] *statuas sibi argento vel auro solidas adversus offerentes prohibuisse.* (quod fortasse sic interpretemur ut alias non prohibuerit, quæ cavæ tantum, id est, ὁλοσφύρατοι non essent.) De Tacito Imp. Fl. Vopiscus, decrevisse Aureliano decessori suo, *statuas argenteas in Capitolio, in Curiâ, in Templo Solis, in foro Trajani.* Cæterorum Principum in his statuis factum ultrà non persequar (quis enim in talibus modus aut finis?) si locum adjecero Trebellii Pollionis, de Claudio Aug. quem varie nonnulli interpretantur. Is est: *Illi (quod nulli antea)* P.R. *sumtu suo, in Capitolio, ante* JOVIS O. M. *Tem-*

1 Admirand. lib. 3. 2 Annal. 13.

Templum statuam auream x. P. *collocavit.* Ubi Notulæ singulares x. p. aut malè intellectæ, aut corruptæ à librariis, sensum perturbârunt. Legebat Onuphrius aliique, x. *Pedum*, satis ineptè. placet LipsI conjectura, CIↃ. *Pondo.* quod exscribentium errore scilicet *Millenaria* nota in *Denariam* mutata esset. ut sæpè alibi in exemplaribus factum viri docti jam adnotârunt. Et Lipsianam conjecturam juvat quòd altera illi in Rostris dimidiò majore pondere, *librarum* scilicet *argenti* CIↃ. IↃ. posita legatur. Nè cui mirum aut novum fiat, in celeberrimo Urbis loco, tantam statuam ab uuiverso Populo Imp. suo esse dedicatam. Onuphrii interpretatio eam ob caussam non arridet maximè, quia vix alibi lectum aut observatum (exceptis Colosseis) ad pedum numerum statuas commensurari. Atque hæc de Statuis quæ in ipso Templo, seu primariâ Templi cællâ. Restabant aliæ, queis in Pronao ejus, seu Porticibus, & attributâ illi areâ locus adsignatus. Eæ illustrium (uti diximus) Triumphaliumque virorum erant; [1] qualis *L. Scipionis Asiatici chlamydata, & crepidata. quo habitu videlicet, quia aliquando usus fuerat, effigiem*

 suam

1 Valer. lib. 3 cap, 6.

suam formatam poni voluit. [1] Erat id quidem Romanis moribus insolens; sed in eâ re Sciciones illi aliquid sibi permiserunt. [2] nam & P. Scipionem in Senatu reprehensum legitur, quod inter consilia & molitiones Africanæ expeditionis, *cum pallio crepidisque obambularet in Gymnasio : libellis etiam palæstræque operam daret.* Quam sanè maximorum virorum libertatem in secessu Rhodiensi Tiberius Cæs. & in Ægyptio Germanicus liberè imitati sunt: nec dubito quin audaciores exemplo. Ut ridicula hinc adpareat in statuâ Asiatici quorumdam allucinatio, qui pro *Crepidis Græcanicis*, *crepundiis* eam potius induerunt: crepundiis sanè ipsi & Togâ prætextâ (sed puerorum) planissimè digni. Fuêre etiam in Capitolio & Palatio statuæ [3] *Trebii Ædilis, quod in Ædilitate suâ assibus populo frumentum præstitisset*; *Cæcilii* etiam *Metelli* Pont. Max. in Capitolio, quòd è mediis ignibus arreptum Palladium, periculo suo ingenti conservavisset. [4] in cujus Basi omnes sibi honores, quà ob Siculam victoriam,

1 Agell. lib. 13. cap. 20.

2 Liv. lib. 29. Cic. pro Rabirio Plut. Cat. Cens. Valer. ibid. Sueton. Tib. Tac. Ann. 12.

3 Plin. lib. 18. cap. 3.

4 Dionys. lib. 2.

riam, quà pietatem istam, concessi legebantur. [1] *Æmilii* quoque *Lepidi* pueri, bullata & prætextata; ex S. C.to quia eâ ætatulâ progressus in aciem *hostem interemerat, civem servârat*. De Statuâ æneâ *Nattæ Pinarii*, signo *Carvilii* ad pedem Colossi Samnitici, statuâ equestri *FabI Max.* propè Tarentinum, ex Cicerone, Livio, Plinio, Plutarcho suprà jam diximus. De nobili TURMA. INAURATARUM. EQUESTRIUM apud eundem Ciceronem legitur in epistolâ ad Pomponium: [2] *At Mehercule ego* (inquit) *cùm in Turma inauratarum Equestrium, quas hic Metellus in Capitolio posuit, animadvertißem in* SARAPIONIS *subscriptione* AFRICANI *imaginem, erratum fabrile putavi.* Sed quæ ea Turma inauratarum Equestrium? num illa fortè quam in Porticu sui nominis Metellus, de Manibiis Macedonicis, posuit loco tantopere à [3] Vellejo, [4] Cicerone, [5] aliisque scriptoribus laudato? sed situs ipse repugnat: ad Porticum enim Octaviam Metellina ea Porticus fuit, in Regione aliâ Circi Flaminii: satis remotè à Capitolio. Fatendum est ergo alterum Metellum, Ciceronis σύγχρο-

1 Valer. Max. lib. 3. c. 1.
2 Lib. 6. ad Att. ep. 1. 2 Lib. 1. 3 In 4. Verr.

νον (quò gentilis sui factum imitaretur) similem Turmam in Capitolii ornamentis posuisse. quam ideo ἀνιςορησίαν Turpem commisisse [1] Cicero scribit, *quòd nescierit proavum suum Censorem fuisse.* sic enim legendum omninò eum locum puto, demtâ negationis notula, qua Sensus perturbabatur. Is fuit (ni fallor) [2] Q. Scipio Metellus V. C. Nasicæ filius, Sarapionis Nepos, Censoris Pronepos, in genus hæreditatemque Metelli Pii adoptatus: unde cognomen illi adhæsit. Hunc opinor Metellum in Porticu Proavi sui, quæ in Capitolio (ut mox docebo) similem gregem posuisse: atque ibi dictam ἀνιςορησίαν commisisse. Sed tuam heic fidem, Amice Lector appello; cui non admiranda prorsus atque incredibilis Templi unius in Urbe Roma magnificentia videatur; in cujus Cællis, Porticibus, Fastigio, Gradibus, Area tot pretiosissima signa, tot Imagines effectissimæ, in queis ars cum pretio, pretium cum artificio portentosa quadam rivalitate certarent? Nisi fortè *greges illos abundantissimos* [3] *Equorum & populum copiosissimum Statuarum* nimia sui abundantia deformasse potiùs locum nobilissimum quàm or-

1 Ibidem. 2 Dio lib. 40. Vell. lib. 2.
3 Cassiodor. 7. variar.

ornasse conquerare. Sed querellam omnem tollet Pontificia ac Censoria severitas : quæ nihil nimium aut redundans, nihil Templi splendoribus officiens, in Templo aut areâ, [1] perstare patiebatur. Legitur enim in verbis Cassii Hæminæ, apud Nonium, [2] *Censores ænea, quæ in Capitolio erant, signa demoliri jussisse.* Ubi scio esse quibus placuerit: *in area, in Capitolio.* vel : *aurea quæ in Cap.* cum vulgata lectione mutare. tuetur eam tamen Livius, & I. Obsequens variis locis, cùm *tempestatibus signa ænea in Capitolio dejecta* prodigiis adscribunt; neque etiam tam antiquis temporibus (teste Plinio [3]) vel in Divûm statuis vulgatus adhuc auri luxus erat. ut meritò vitiosa ista correctio viro etiam elegantissimo F. Ursino olim displicuerit. De M. Æmilio Lepido Pont. Max. Livius [4] observat, *à columnis Capitolii, quæ incommodè opposita videbantur signa, amovisse.* De Augusto Suetonius, [5] *ex Capitolina area propter angustias in campum Martium quasdam contulisse*; quæ posteà à C. Cæsare, perversè ambitioso atque invido,

1 Neque etiam Foro aut aliis publicis locis. Plinius lib. 34. c. 6. 2 In *moliri.*
3 Lib. 34. & alibi. 4 Lib. 40. 5 Calig. cap. 34.

do, *ita ſubverſæ ac dejectæ ſunt, ut reſtitui ſalvis Titulis non valuerint.*

CAPUT XXVII.

Signorum παραλειπόμενα: *ut* Ædilitia *de mulctis.* Canis *Æreus.* Ephœbus *cum Rutro.* Centaurus. κεραυνοπλήξ. Anſer *Argenteus. quid* Rutrum, σκαφεῖον, σκαπάνη. παρορύττειν. *Varro apud Nonium forſan correctus.*

Priuſquam ſermone iſto de Signis defungar, non omittenda videntur ea, quæ Ædiles in Capitolio de mulctis damnatorum interdum ſacraverunt. Sic T. Livius [1] adfirmat *Ædil. Pl. Q. Fulvium Flaccum duo ſigna aurata*, & *P. Ælium Tuberonem Luciumque Lectorium vitio creatos ſigna* III. *ex mulctatitio argento facta ibidem poſuiſſe.* Iidem Clypea ſumtuoſa & Quadrigas inauratas interdum obtulerunt, quæ [2] ſuprà re-

1 Lib. 30. & lib. xxx. *
* Quæſo, quám bellæ citationes? Livius autem de Q. Fulvio Flacco ædile plebis agit lib. XXXVIII. 35.
2 Cap. 15.

recenſebam. Ut antiquæ illi R. P. nihil appareat antiquius etiam fuiſſe, quàm ex occaſione qualibet Deorum ornandorum ſtudium oſtendere. Non omittendus etiam nobilis ille Canis æreus in cællâ Junonis, vulnus ſuum lambens. *cujus eximium miraculum* (inquit Plinius) *non eo ſolum intelligitur* [1] QUOD IBI DICATUS FUERAT; *verùm & novâ ſatiſdatione. nam ſumma nulla par videbatur.* CAPITE TUTELARIUM CAVERE *pro eâ inſtituti publici fuit.* Pari miraculo fuiſſe oportet *Ephœbum* illum *rutrum tenentem, & Græcorum more arenam ruentem, exercitationis gratia.* quod ſignum Feſtus auctor [2] eſt *Pompejum Bithynicum ex Bithynia ſupellectilis regiæ Romam deportaviſſe. Rutrum* autem quid ſit oſtendit eruditiſſimus Iſaacus Caſaubonus Lection. Theocritic. c. VI. nimirùm ligo, quo in palæſtrâ athletæ præludentes concertabant, quis ſocium longiùs ruendo præverteret: *σκαφεῖον* Græcis aut *σκαπάνη* dictum. idque genus exercitationis eadem linguâ *παρορύττειν* dicebatur. Utitur illâ voce, præter alios, Varro apud Nonium [3] Margopoli, *περὶ ἀρχῆς*, verbis medicum quærentibus: *Cui celer die nos lomnatos logos, Antipatri Stoici filius rutro caput*

1 Lib. 34. c. 7. 2 In *Rutrum*.
3 In *Rutrum* & Vitruvius ſubinde.

put displanat. vetus liber habebat fide doctissimi Hadriani JunI: δι' ἑνὸς λήμματος. unde facile conjicio legendum: δι' ἑνὸς λήμματος λόγου. *Ant. St. f. v. c.* * *displanat*, vel, *complanat.* quod alii codices exprimunt. 1 λήμματα enim sunt apud Dialecticos τὰ προσλαμβανόμενα: quas Aristoteles προτάσεις appellavit. quamvis CL. Victorius in Varronianis verbis διλήμματος rectius putaverit, quem, si libet, libro XXIII. Var. Lect. vide. Magnam quoque elegantiam habuisse credo Centaurum illum, quem suâ ætate, in Capitolio, Cicero 2 ictum de cælo commemorat: unà cum Portis in Aventino, hominibusque, & ædibus aliquot Romæ & Tusculi sacris. Fuit & argenteum Anseris simulacrum in Templi Porticu positum. ejus scilicet memoriæ celebrandæ, qui (ut Rudini 3 Poëtæ verbis loquar)

Qua Galli furtim noctu summa Arcis adorti
Mœnia concubiâ;

vigiles excitavit, & hostis indicium dedit. ejus simulacri Virgilius mentionem facit, in clypeo Æneæ: 4

In

* Sane sic edidit quoque ipse Rycquius. Et tamen voluit opinor has literas ponere *f. r. c.*

1 Cic. 2. de Divin. 2 1. de Divinat.

3 EnnI apud Macrob. 4 8. Æneid.

In summo custos Tarpejæ Manlius arcis
Stabat pro Templo, & Capitolia celsa tenebat:
Romuleoque recens horrebat Regia culmo.
Atque hic auratis volitans argenteus anser
Porticibus, Gallos in limine adesse canebat.

Unde Martialis adulatoriè, (ut solet) in Apophoretis lemmate *Anser*:

Hæc servavit avis Tarpeji Templa Tonantis.
Miraris? nondum fecerat illa Deus.

(Domitianus scilicet, postremus Capitolii restaurator, quem idem scriptor *Dominum Deumque* alibi sic sæpè nominat) Et Sollius Sidonius eleganter Romam alloquens, in Panegyrico Majorani:

Tum quoque totam aciem Senonum dux garrulus anser
Nunciat, & vestrum vigilat sine milite Fatum.

Lucretius quoque noster, quem primo nominatum oportuit,

Romulidarum Arcis Servator candidus anser.

Quam ob caussam sacræ illi volucri alimen-

ta

ta publice [1] decreta ſunt, aliique honores adſignati, quos ſuo loco proferam.

CAPUT XXIIX.

Militaria ἀναθήματα *Torques. Signa, aliaque* inſignia *hoſti detracta, & arma omnis generis: quibus in re trepidâ nonnunquam uſi.* Tropæa Aurea *C. FlaminI & MarI. ab hoc* capita *etiam* Proſcriptorum *Jovi oblata: quemadmodum à Principibus aliis* Arma conjuratorum. *Propertius explicatus.*

Signis Imaginibuſque variis Militaria Dona ſuccedant, quæ Jovi Capitolino Duces Romani Victores, tanquam victoriæ omnis auctori atque arbitro, contulêre. Ita L. Æmilius Coſ. de Gallis triumphans (teſte Polybio) τὸ Καπιτώλιον ἐκόσμησε τοῖς τε σημαίαις καὶ τοῖς μανιάκοις. [2] id eſt, *Capitolium ſi-*

1 Cicero pro Roſcio. Plut. in Quæſt.
2 Λογ. ἱστορ. β.

signis eorum & Torquibus ornavit. Quid sint autem οἱ μανίακοι idem scriptor explicat disertè, verbis ibi subjunctis: Τοῦτο δ' ἐστὶ χρυσοῦν ψέλλιον ὃ φοροῦσι περὶ τὰς χεῖρας καὶ τὸ τράχηλον οἱ Γαλάται. *Torques scilicet sive armillæ quibus & collum & brachia circa manus Galli revincirent.* 1 ita M. Claudius Marcellus (apud Livium) *Torquem aureum magni ponderis de præda Bojorum & Insubrum Jovi in Capitolio dicasse* legitur. Et L. Martius, Scipionum in Hispaniâ ultor, *clypeum aureum, vel argenteum, cum effigie Barchini Asdrubalis* Capitolio dedisse. quod alibi diximus. & D. Augustus auctoritate Horatii:

—— Signa nostro restituit Jovi,
Direpta Parthorum superbis
Postibus.

2 Quod fortassè de signis Crassianarum legionum recuperatis, & in Templo Martis Ultoris Capitolini repositis commodiùs interpretari possis. Nec Duces modò ipsi Triumphantes, verùm etiam milites videntur aliquid è bello raptum in Templis posuisse. id enim dicere videtur Lucanus, ubi Scævam fortissimum Cæsarianum adloquitur occisum: 3

Non

1 Lib. 33. 2 Vide infrà cap. 39.
3 Lib. 6.

Non tu bellorum ſpoliis ornare Tonantis
Templa potes, non tu lætis ululare Triumphis
Infelix.

& Tertullianus noſter, libro de Reſurrect. Carnis: *Gladius ſuus bene de bello cruentus, & melior homicida, laudem ſuam conſecratione penſabit.* Inde varietas illa hujuſmodi Donorum nata, quam à Virgilio ſupra Cap. xv. & imitatore ejus Sillio licet adumbratam cernere. [1] cujus hæc verba ſunt:

In foribus ſacris, primoque in limine Templi,
Captivi currus belli decus, armaque rapta
Bellantûm Ducibus, ſævæque in Marte ſecures,
Perfoßi clypei, & ſervantia tela cruorem
Clauſtraque portarum pendent.

Idem & Emeriti Milites faciebant, quaſi Diis ob rem bene geſtam gratias acturi; ut jam tantum non armamentaria ipſa Templa eſſent. Quæ conſuetudo ad privatarum etiam domuum poſtes atque atria paullatim tranſiit, ut viri docti plures jam ante me obſervârunt. Hinc etiam factum ut dubiis

1 Lib. 1.

biis R. P. temporibus arma iſta convellerentur, & juventuti in militiæ uſum diſtribuerentur, habito dilectu. Valerium Maximum audi id aſſerentem lib. VII. cap. de Neceſſitate: *Cannenſis* (inquit) *clades adeò urbem noſtram vehementer confudit, ut M. Junii opera, Dictaturâ Remp. adminiſtrantis, ſpolia hoſtium, affixa Templis, Deorum numini conſecrata, inſtrumenta militiæ futura convellerentur, ac prætextati pueri arma induerent.* Eò reſpexit haud dubiè grandis ille (ſi quis) Poëta Statius in III. amœniſſimæ Thebaïdos:

Tantus in attonitos cecidit Deus: arma paternis
Poſtibus, & fixos Superûm ad penetralia currus
Vellere amor.

& lib. XII. ejuſdem:

—— Patriis modò fixa revellunt
Arma Diis, clypeiſque obducunt pectora fractis.

Id feciſſe Lucanus Ariminenſes etiam ſcribit, Cæſare vi armatâ illis adpropinquante.[1]

Diripiunt ſacris affixa Penatibus arma
Quæ pax longa dabat. nuda jam crate fluentes

In-

[1] Lib. I.

Invadunt clypeos, curvataque cuspide pila:
Et scabros nigræ morsu rubiginis enses.

Eum Ritum arma sacrandi in periculo suo etiam Principes tenuerunt. videlicet ut ensem aut pugionem, quo petiti essent, Diis offerrent. sic Nero ab conjuratione Pisonianâ liberatus *eum pugionem*, quem Scævinus Templo Salutis in Etruriâ, sive (ut alii tradiderunt) Fortunæ [1] Ferentanæ detraxerat, *apud Capitolium sacravit, inscripsitque* JOVI VINDICI. [2] sic Caligula antea *tres gladios, in necem suam præparatos*, MARTI ULTORI *addito elogio consecraverat.* [3] & A. posteà Vitellius *pugionem, quo se Otho occiderat, in Agrippinensem Coloniam misit Marti dedicandum.* Longè tamen istorum superstitionem immanitas vicit C. Marii, qui (teste [4] Orosio) *capita proscriptorum* adhuc sanguine fluentia Capitolio obtulit, & conviviis, ad oculorum quasi saturitatem, spectanda ingessit. [5] Neque hoc facere vir iste erubuit in eo loco, qui præclara illa Tropæa sua Aurea de Cimbris atque Jugurthâ paullò antè receperat, nobilissimas etiam Statuas quam-

1 Tac. Ann. 15.
2 Sueton. Calig. Dio lib. 49.
3 Suet. Vitell.
4 Lib. 5. cap. 18.
5 Plutarch. in Cæsare.

quamplures sibi dedicatas haberet. quæ ab inimico ejus atque æmulo L. Sullâ dejecta, in Ædilitate suâ Cæs. Julium, magnificentiâ incomparabili [1], noctu ferunt restituisse; non sine gravi Q. Catuli & optimatum omnium indignatione. Meminit horum C. Marii monimentorum Sext. Propertius, in Elegejâ de Cleopatrâ:

Fœdaque Tarpejo conopæa tendere saxo,
Jura dare STATUAS *inter &* ARMA MARI.

Arma enim rectè vocantur à Poëtâ, quod variâ armorum miscellâ Tropæorum moles construeretur. ut præter alios multos Virgilius ostendit initio XI. Æneid. cum Statio Papinio, sub finem II. Thebaïdos; & nobilia illa Tropæa Mariana testantur de Cimbris Teutonisque lapidea, quæ à Castello Aquarum (ubi quondam constiterant) in suggestum Capitolinum S. P. Q. R. transferri nuper jussit. ut Antiquorum aureorum memoriam, quanquam in dissimili materiâ civibus hospitibusque renovaret. Unus præter Marium C. Flaminius Cos. (teste Julio Floro) cùm de [2] Romanorum militum prædâ Marti suo Torquem Galli vovissent,

N *de*

1 Ibidem & Sueton. Cæs. c. 11.
2 Lib. 2. c. 4.

de Torquibus eorum aureum Tropæum JOVI ROMANO *erexisse* legitur. Ita bis omninò (quod obſervaverim) ex devictâ Tranſalpina gente Aureorum Tropæorum ornamenta Capitolium recepit.

CAPUT XXIX.

Tabulæ *etiam* pictæ *in Capitolii ornatu. eæ ferè Triumphales, aut ab hoſtibus captæ. L. MummI Tabula Achaica, & M. FulvI præda Ambracienſis. Mos Templa pingendi in Italiâ & Græciâ antiquiſſimus: idque fere bellorum monimentis. Romæ publica multa ſic etiam ornata.* ποικίλη *Athenienſium.* Tituli Victoriarum *picturis adjuncti, Saturnio verſu. Similes è Livio aliiſque Tituli allati.* Tabulæ Honorum *ad pedes Jovis depoſitæ, aureis literis conſcriptæ.* Annales Maximi.

In Donis Militaribus & Tabulæ picturarum erant; quæ vel ex hostili loco captæ, vel à Triumphalibus viris positæ, Capitolium exornabant. C. Plinius lib. xxxv. c. iv. *L. Scipio Tabulam Victoriæ suæ Asiaticæ in Capitolio posuit.* & ejusdem libri c. x: *Parrhasius Ephesi natus pinxit, præter alia multa,* THESEA, *qui Romæ in Capitolio fuit: & navarchum thoracatum.* illos (opinor) ex prædâ aliquâ transmarinæ Urbis. Nam in potestate erat eorum, quorum auspiciis bellum gerebatur, ex devictis populis signa eorum, statuas, picturasque, etiam in Templis consecratas, auferre. Desinebant enim religiosa esse, aut sacra: meritóque ad fiscum redigi poterant. ut à I. C. tis [1] diligenter est observatum. Unde acerbus ille aculeus M. TullI lib. iv. in Verrem, de Tabulis Minervæ Syracusanæ, quas *Marcellum* (inquit) *hostem servavisse*: Verrem, *Prætorem P. R. diripuisse.* Primus legitur L. Mummius, vir aliàs minimè comis, Aristidæ Tabulam, ex victoria [2] Achaïca, in Cereris Delubro Romæ posuisse. Post hunc (inter alios victores) M. Fulvius Cos. ex Ambraciâ, Regiâ Pyrrhi, [3] quicquid signorum

1 Ad Tit. DD. de jure Fisci.
2 Plin. lib. 35. c. 4. 3 Liv. lib. 38.

rum aut Tabularum esset, Romam ad Triumphum domumque suam exornandam transmisisse : quamobrem magna illi apud cives suos invidia conflata est. Moris autem fuisse hujusmodi picturis etiam in Italia Templorum parietes convestire, Poëmatium antiquissimum ostendit, quod in Templo Ardeæ legisse & exscripsisse se Plinius fatetur: [1]

Dignis digna loca picturis condecoravit
REGINAE JUNONIS, SUPREMI CONJUGIS, *Templum*
MARCUS LUDIUS *Elotas*, *Ætolia oriundus*;
Quem nunc, & post semper, ob artem hanc ARDEA *laudat.*

& quæ de Fabio Pictore idem scriptor adfert dicti libri cap. IV. *Princeps ejus cognominis* (inquit) *ipse* AE*dem Salutis pinxit anno V. C.* CCCCL. *qua pictura duravit ad nostram memoriam*, *æde* CLAUDI *principatu exusta.* idemque [2] Plinius cum Pausania innumerabilia adfert exempla Templorum Romæ atque Græciæ venustissimis picturis radiantium. Picturæ autem illæ Martiales potissimùm erant, id est, rerum præclarè in bel-

1 Ibid. cap. 10.
2 Toto lib. dicto.

bello gestarum. Sic L. Scipio victoriæ (quam diximus) Tabulam in Capitolio posuit. [1] sic Agathocles Siculorum Rex equestrem suam pugnam, in AEde Minervæ Syracusanæ, quæ in insula. sic Sempronius [2] Gracchus (is qui Sardiniam subegit) Sardiniæ Insulæ formam, & in ea simulacra pugnarum picta in æde Matris Matutæ. Ad eam consuetudinem omninò respexit Tydeus apud Statium Minervæ Templum voturus:

Heic ego majorum pugnas, vultusque tremendos
Magnanimûm effingam Regum, figamque superbis
Arma Tholis.

& princeps vates in principe AEneidos suæ libro. ubi de Templo Carthaginiensi ab AEnea conspecto:

—— videt Iliacas ex ordine pugnas:
Bellaque jam fama totum vulgata per orbem;
Atrîdas, Priamumque, & sævum ambobus Achillem.

Nec in Templis modò Romæ, sed in foro, Rostris, Porticibus, curia, aut alio quovis publico monimento ex Tabulæ consti-

1 Cic. lib. 4. in Verrem.
2 Liv. lib. 41.

ſtitutæ. Ut [1] Pinacothecas taceamus, queis lautiores cives villas & domos ſuas etiam privatim exornabant. In Porticibus verò hujuſmodi victoriarum ſimulacra ponere, Athenienſium inventum fuiſſe quidam putant; qui victoriam ſuam contra Perſas & Medos publicè depinxiſſent in Porticu, quæ à varietate picturæ [2] ποικίλη, alioque nomine στοά, aut πεισιανάκτειος appellata. Talem fuiſſe Linterni fingit Silius, quam Annibal Campaniæ victor non ſine bile ſpectarit; quæ P. R. de Carthaginienſibus victorias contineret. Talis etiam in Urbe erat [3] *Septimiana* (quam de Patris nomine Caracalla vocari juſſit) quæ geſta Septimii omnia, & Triumphos, & bella. nè plures recenſendo extra oleas noſtras nimiùm abeamus. Addebantur & picturis aliæ Tabulæ ſubindè, quæ literis grandibus indicem explicarent, rerum à Ducibus P. R. ſtrenuè geſtarum. [4] Nam Gracchana Tabula (quam diximus) ad ædem Matutæ poſita, talem indicem habuit:

TI.

1 Plin. ibid. Capitolin. in Maximin.

2 Cornel. Nepos Miltiade. Laërtius Zenone. Suidas.

3 Spartian. in Caracalla.

4 Liv. lib. 41.

TI. SEMPRONI. GRACCHI. COS. IMPERIO. AUSPICIOQUE
LEGIO. EXERCITUSQ. P. R. SARDINIAM. SUBEGIT
IN. EA. PROVINCIA. HOSTIUM. CAESA AUT. CAPTA
SUPRA. LXXX. MILLIA. RE. PUBLICA FELICISS.
GESTA. ATQUE. LIBERATIS. [1] .... VECTIGALIB.
RESTITUTIS. EXERCITUM. SALVUM ATQUE
INCOLUMEM. PLENISSUMUM. PRAEDA. DOMUM
REPORTAVIT. ITERUM. TRIUMPHANS IN. URBEM
ROMAM. REDIIT
CUJUS. REI. ERGO. HANC. TAB. DONUM JOVI. D.

Eae Tabulae *Tituli Victoriae* vocabantur, in Capitolio potissimùm positi. Attilius Fortunatianus, ubi de Saturniis versibus: *Apud nostros in Tabulis antiquis, quas Triumphaturi Duces in Capitolio figebant, Victoriae suae Titulum, Saturniis versibus prosequebantur. talia reperi exempla ex Regilli Tabula*:

1 Videtur aliquid deesse.

DUELLO. MAGNO. DIRIMENDO. REGIBUS.

& infrà, in Acili Glabrionis Tabula:

FUNDIT. FUGAT. PROSTERNIT. MAXIMAS. LEGIONES.

Idemque ſcriptor alio loco, de eodem verſu: *Hic verſus obſcurus quibuſdam videtur, quia paſſim, & ſine cura, eo homines utebantur, maximè tamen Triumphaturi in Capitolio Tabulas hujuſmodi verſibus incidebant:*

SUMMAS. OPES. QUI. REGUM. REGIAS REFREGIT:

Similia his ſunt quæ ex Donatiano Grammatico adferuntur à CL. V. Petro Ciacconio, in eruditisſimo ad *Columnam Duiliam Roſtratam* Commentario. Saturnius autem verſus (ut οὐ πάρεργον hoc dicam) is eſt *cui priſca apud Latinos ætas tanquam Italo & indigenæ Saturnio nomen dedit.* quorum tamen errorem Marius [1] Victorinus redarguit III. de metris. Græcis enim ſcriptoribus quà Tragicis, quà Comicis, æquè oſtendit priùs fuiſſe uſurpatum. conſtabat is plerumque pedibus ſex, & ſemipede, tribus Jambis videlicet cum Syllaba & tribus Trochæis: qualis eſt iſte,

Dabunt malum Metelli Nævio Poëtæ. [2]

Quan-

1 Et Terentianus Maurus, ubi de hoc verſu.
2 Victorin. ibidem.

Quanquam antiqui non ſemper eam legem obſervaverint; ſed *præterquam quod duriſſimos fecerunt, etiam alios longos, alios breviores inſeruerunt.* quorum exempla apud Grammaticos licebit reperire, & præcipuè apud ſuaviſſimæ difficultatis artificem Terentianum, opuſculo de Metris. AEmilii Regilli Triumphalis in Capitolio Tabulæ (cujus Fortunatianus meminit) apud Livium exemplum adhuc ſuperat, truncum, mutilum, & variè à librariis corruptum. quale tamen cunque eſt non pigebit adjicere:

. . . .

. . . . .

* DUELLO. MAGNO. REGIBUS. DIRIMENDO

CAPUT. [1] SUBIGENDIS. PATRANDAE PACIS

HAC. PUGNA. EXEUNTI. L. AEMILIO. M. AEMILI.

N 5 F.

* Multi tetigerunt hanc AEmiliani tituli formulam. Sed nemo quod ſciam edidit velut digeſtam in verſiculos, ut factum eſt ab Rycquio. Quod utcunque illi ceſſerit, equidem lectores debet offendere verſiculus quartus, incipiens ab voce *Filio*, quam ab ſuo genitivo *AEmili* detractam non toleraret ipſe AEmilius. Miror nullam de his verſibus vocem editam ab noſtro.

1 Emendat Sigon. *Capiendis, ſubigendis, patrandæ paci.*

F. AUSPICIO. IMPERIO. FELICITATE DUCTUQ. EIUS
INTER. EPHESUM. [1] CAMOCHUMQ. INSPECTANTE
COS. IPSO. ANTIOCHO. EXCERCITU. OMNI. EQUITATU
ELEPHANTISQ. CLASSIS. REGIS. ANTIOCHI. [2] ANTEA
SIC. VICTA. FUSA. CONTUSA. FUGATAQ. EST
IBIQ. EO. DIE. NAVES. LONGAE. CUM OMNIB. SOCIIS
CAPTAE. XLII. [3] EA. PUGNA. PUGNATA. REX
ANTIOCHUS. REGNUMQ. EIUS . . . .
. . . .
EIUS. REI. ERGO. AEDEM. LARIB. PERMARINIS. VOVIT.

Triumphum autem Navalem egit L. AEmilius Regillus Præt. de Antiocho, anno V. C. DLXIV. (ſecundum Faſtos Capitolinos) ad Kal. Februarias eamque AEdem LX. [4] poſteà

1 Idem: *Samum Chiumque.* 2 Idem: *Ante diem. XI. Kal. Januar.* 3. Al. LXII. 4. Liv. lib. 37.

steà annis M. AEmilius Cens. dedicavit. Alii autem Tituli, sive Tabulæ, quarum Fortunatianus meminit, ut M'. Acilii Glabrionis, qui uno ante Regillum anno de eodem hoste triumphaverat; cæterorumque Ducum, vetustate temporum planissimè perierunt. Σύνηϑ☉ autem ille superiori mos, atque adeò heic non omittendus, decretos Principibus honores in Tabulas aut columnas referre, & publicè alibi, vel in Capitolio, proponere. Eò facit testimonium EnnI de Africano, apud [1] Trebellium: *Quantam Statuam faciet P. R. quantam columnam quæ res tuas gestas loquatur!* quem honorem statuis antiquiorem Plinius adfirmat lib. XXXIIII. c. V. Exemplum est in Dione Cassio, ubi de S. C.tis in honorem Cæsaris μάλα κολακικοῖς factis [2]: *Decora hæc in argenteis columnis literis aureis perscripserunt, & sub pedibus Jovis Capitolini collocaverunt.* Ritum istum litteris aureis scribendi Tacitus etiam tangit in IV. Annali: *Atque Haterius cùm ejus diei S. C.*ta (de Tiberii honoribus) *aureis litteris figenda in Curia censuisset, derídiculo fuit*: & Sidonius Apollinaris I. Epistolar in fine: *Dignum Poëma quod perennandum apicibus auratis justè Tabula Rostra-*

N 6

1 In Claudio. 2 Lib. 44.

ſtralis acciperet, aut etiam Capitolina. niſi ad conſuetudinem alteram ducere hoc malimus, qua victoris in Muſica commiſione carmina ſimili magnificentia Jovi dicabantur. ut ſuo 1 loco dicemus. Similes Tabulæ iſtis erant Annales Maximi. de queis Macrobius III. 2 Saturnalior. *Pontificibus* (inquit) *permiſſa eſt poteſtas memoriam rerum geſtarum in Tabulas conferendi, & hos Annales appellant equidem Maximos, quaſi à Pontificibus Maxx. factos. Unde ex perſona AEneæ ait* (*Virgilius*)

Et vacet Annales noſtrorum audire laborum.

1 Syntag. II. 2 Cap. 2.

CAPUT XXX.

De Tabulis æneis *aliquid interpositum, quarum magnus in Capitolio numerus. Mos eas in Curiâ aut Templis ponendi: tandem in AErario.* Tabularium, Capitolinum, Palatinum, *aliaque P. R. Quid* AEra figere *aut* refigere. *Olim varia Tabularum materia. Earum in Capitolio series atque ordo. Exempla duarum prolata.* Leges Sacratæ *quæ.*

Quia in Tabulas Capitolinas incidimus, omissis tantisper Donariis inseramus etiam illas quæ S. C.ta, Principum Rescripta, Plebiscita, Magistratuum Edicta, Leges, Fœdera, Privilegia & his similia aut agnata continerent. [1] Quarum Tabularum ∞.∞.∞. quæ unà cum nobilissimo Templo conflagrarunt, restituenda Vespasianus suscepit, undique vestigatis exemplaribus,

1 Suet. Vespas. Tac. 4. Hist.

Nequis exiguum harum numerum & vix ἀξιομνημονεύτων fuisse sibi persuadeat. Quæ omnes Tabulæ num in ipso summo templo repositæ, an adjuncto ei Tabulario servatæ sint haud proclive adeò sit dicere. TABULARI quidem CAPITOLINI meminit Vetus apud Marlianum Inscriptio, in qua legimus Q. LUTATIUM. Q. F. Q. N. CATULUM. COS. SUBSTRUCTIONEM ET. TABULARIUM. DE. SUO. FACIENDUM. COERAVISSE. Nisi fortè stultividi exscriptores isti fuerint, & pro TABULATO Tabularium supposuerint, quæ suspicio nobis incidit. Fundus tamen vulgatæ lectioni Polybius qui lib. Histor. II. * vetustissimum Romanorum & Carthaginiensium Fœdus ad sua usque tempora mansisse scribit ἐν χαλκώμασι, παρὰ τὸν Δία τὸν Καπιτώλιον ἐν τῷ τῶν ἀγορανόμων ταμιείῳ. Recepta tamen etiam ab antiquo consuetudo promulgatas jam & in AEneis Tabulis incisas Leges ad Deorum Templa (ubi custodiendæ reponerentur) deferri. Sic invenimus apud Livium [1] *L. Valerio & M. Horatio Coss. institutum ut S. C.ta in AEdem Cereris ad AEdiles Pleb. deferrentur, quæ anteà arbitrio Coss. supprimebantur vitiabanturque.* Sic

* Voluit. III.
[1] Lib. 3. & Serv. in 4. AEn.

Sic apud eumdem Scriptorem [1] *Legem Iciliam* de Jure Populi & Tribuniciæ Potestatis, *aliasque Sacratas Leges* apud Dianæ in Aventino fuisse repositas. Quæ sint autem *Sacratæ Leges* Festus Pompejus explicavit hac ratione: *Quia illis sanctum erat ut si quis adversus eas fecisset, sacer alicui Deorum esset cum familia pecuniaque.* De Fœderibus etiam constitutum quò sanctiora & religiosiora essent, ut in Capitolio aliisque Templis servarentur: exemplo tamen iis (ad quos pertinerent) transmisso. quod è Livio discimus lib. XXVII. his verbis: *Hæc convenerunt: conscriptaque biennio pòst Olympiæ ab AEtolis, in Capitolio ab Romanis, ut testata sacratis monimentis essent, sunt posita.* Et è SS. Litteris lib. I. Machab. c. VIII. [2] *Hoc rescriptum est quod rescripserunt in Tabulis æreis, miserunt in Jerusalem ut esset apud eos ibi memoriale Pacis & Societatis.* Josephus quoque de Fœderibus cum suâ gente initis, scriptoque consignatis lib. XIV. Antiquit. c. XVI. quorum exempla ait ἐν τῷ Καπετωλίῳ, καὶ Σιδῶνι, καὶ Τύρῳ, καὶ ἐν Ασκαλῶνι, καὶ ἐν τοῖς ναοῖς fuisse consecrata. [3] Fœdus item antiquissimum P. R. cum Latinis Dio-

1 Ibidem.
2 Vide etiam ibid. c. 14.
3 Dionys. Hal. lib. 4.

DionysI ætate in Capitolio visebatur columnæ æneæ Græcis * insculptum litteris. In Curiâ etiam & Rostris monimenta istiusmodi spectata fidem facit Annalium scriptor [1] in Actis TiberI: *Atque Haterius cùm ejus diei S. C.ta figenda Aureis Litteris in Curiâ censuisset, deridiculò fuit.* Et M. Tullius in Oratione pro Balbo: *Cum Latinis omnibus ictum Fœdus Sp. Caßio, Postumio Gemino Coss. quis ignorat? quod quidem nuper in columna ænea meminimus post Rostra incisum & perscriptum fuisse.* [2] Qui mos videtur deinde omissus, & ad Præfectos AErarii omnis Tabularum Publicarum cura translata: nisi quod Prærogativa sua & vetus consuetudo Jovi Capitolino subindè relicta; quasi loci istius sanctimonia ac religio plurimum auctoritatis Tabulis ipsis conferret. Unde & Numen quoddam habere creditæ, fide Uraniæ Tullianæ, in I. de Divinat.

Tum species ex ære vetus, generosaque Natta
Concidit, elapsæque vetusto NUMINE LEGES.

Qui-

* Sic quantum video. interpretatur Græca γράμμασιν ἀρχαϊκοῖς ἐπιγεγραμμένη, quæ exstant capite 65. citati libri.

1 Tac. Ann. 4. 2 Serv. in 2. Georg. Tac. Ann. 13.

Quibus equidem in verbis Prodigium Capitolinum tangit, de quo ipſemet ſæpè alibi: tum præcipuè Catilinariâ III. cùm ait: *Memoriâ tenetis Cotta & Torquato Coſſ. complures in Capitolio turres de cœlo eſſe percuſſas, cùm & ſimulacra Deorum immortalium depulſa ſunt, & ſtatuæ veterum hominum dejectæ, & Legum æra liquefacta.* AEneæ igitur omnes eæ Tabulæ erant, atque ideò *AEra* ἁπλῶς ſic interdum vocata. Idem Cicero ad Familiar. VII. ep. I. *Cujus AEra refigere debebamus, ejus etiam cheirographa defendimus?* Dicebantur autem *refigi leges* cùm abolerentur. Virgilius ex Vario: [1]

—— *fixit leges pretio, atque refixit;*

Figi, cùm promulgarentur. [2] Ovidius:

—— *nec verba minantia fixo*
AEre legebantur.

Plautus Trinummo:

Ea miſeræ etiam ad parietem ſunt fixæ clavis ferreis.

Quanquam olim ligneæ & eboreæ etiam Tabulæ eſſent. Unde de XII. non levis quæſtio eſt, quâ tandem materiâ in publico primùm ſint poſitæ. *AEneas* opinantur fuiſſe Diodorus, Dionyſius, Livius. *Eboreas* M. Tul-

1 6. AEneid. 2 1. Metam. quamvis alii aliter legant.

Tullius in laudata Catilinariâ. *Roboreas* ſive ligneas Pomponius de origine Juris. * niſi mendum ibi ſit, & pro *roborea*, *eborea* legendum ſit. quod Criticis quibuſdam eſt viſum. ſed totam eam ζήτησιν eruditè atque eleganter olim tractavit eruditiſſimus Brodæus lib. IV. Miſcellaneorum c. XII. cujus ſcrinia non compilo. Diſtinguebantur hujuſmodi Tabulæ in Capitolio characterum quorundam notis, paginarum numeris, & loculorum diverſitate; vitandæ ſcilicet in tanto numero, confuſioni. Oſtendit monimentum vetus Aquileæ, ad exemplar Capitolinæ Tabulæ deſcriptum, quod à Fulvio Urſino communicatum ſibi Lipſius olim in Tacito vulgavit; nos fide LipsI iterùm adſcribemus:

IMP. CAESAR. VESPASIANUS. AUG. PONT. MAX.

TR. POT. II. IMP. VI. PP. COSS. III. DES. IIII.

VETERANIS. QUI. MILITAVERUNT. IN CLASSE

RA-

* Hanc triplicem ad tabulas materiam quum ex ipſis antiquis ſcriptoribus producat Rycquius, ſane ineptit Alex. Donatus ſic cavillans lib. II. cap. 9. *Tabulas Riquus antiquiore ætate ligneas, poſtea facit eboreas. certius reor fuiſſe æreas.* Nihil de ætatibus apud Rycquium: qui æreas optime novit.

RAVENATE. SUB. SEX. LUCILIO. BASSO. QUI
SENA. ET. VICENA. STIPENDIA. AUT PLURA
MERVERUNT. ET. SUNT. DEDUCTI. IN. PANNO-
NIAM. QUORUM. NOMINA. SUBSCRIPTA. SUNT
IPSIS. LIBERIS. POSTERISQUE. EORUM. CIVITATEM
DEDIT. ET. CONNUBIUM. CUM. UXO-RIBUS. QUAS
TUNC. HABUISSENT. CUM. EST. CIVI. TAS. IS
DATA. AUT. SIQUI. CAELIBES. ESSENT. CUM
IIS. QUAS. POSTEA. DUXISSENT. DUM-TAXAT
SINGULI. SINGULAS. NON. APRIL CAE-SARE
AUG. DOMITIANO. CN. PEDIO. CASTO. COS.
ILATORI. VENETI. F. CENTURIONI. AME-ZEIO
DESCRIPTUM. ET. RECOGNITUM. EX. TABULA
AENEA. QUAE. FIXA. EST. ROMAE. IN. CA-PITOLIO AD.

AD. ARAM. GENTIS. IULIAE. DEFORAS. PODIO
SINISTERIORE. TAB. T. PAG. II. LOC. XXXXIIII.

Adſcribemus & Græcum S. C. breviuſculum è Joſepho: quò Antiquitatis illius Venerandæ ex Utriuſque Linguæ vetuſtis Tabulis, in Capitolio olim fixis, recens aliquod *μνημόσυνον* Lectori noſtro repræſentetur. Ait igitur Joſephus de Cæſare: *Ἐπιτρέπει δὲ καὶ Ὑρκανῷ τὰ τῆς πατρίδος ἀναστῆσαι τείχη, ταύτην αἰτησαμένῳ τὴν χάριν. ἔρριπτο δὲ ἔπι Πομπηΐου καταβαλόντος. καὶ τοῦτ' ἐπιστέλλει τοῖς ὑπάτοις εἰς Ῥώμην, ἀναγράψαι ἐν τῷ Καπετωλίῳ. καὶ τὸ γενόμενον ὑπὸ τῆς συγκλήτου δόγμα τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον:*

ΛΕΥΚΙΟC. ΟΥΑΛΕΡΙΟC. ΛΕΥΚΙΟΥ ΥΙΟC. ΣΡΑΤΗΓΟC
ΣΥΝΕΒΟΥΛΕΥCΑΤΟ. ΤΗ. ΣΥΓΚΛΗΤΩ ΕΙΔΟΙC
ΔΕΚΕΜΒΡΙΑΙC. ΕΝ. ΤΩ. ΤΗC. ΟΜΟΝΟΙΑC. ΝΑΩ
ΓΡΑΦΟΜΕΝΩ. ΤΩ. ΔΟΓΜΑΤΙ. ΠΑΡΗCΑΝ. ΔΕ
ΛΕΥΚΙΟC. ΚΩΠΩΝΙΟC. ΛΕΥΚΙΟΥ ΥΙΟC. ΚΑΙ

ΠΑ-

ΠΑΠΙΡΙΟC. ΚΥΡΙΝΑC. ΠΕΡΙ. ΩΝ. ΑΛΕ-
ΞΑΝΔΡΟC
ΙΑCΟΝΟC. ΚΑΙ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. ΔΩ-
ΡΟΘΕΟΥ. ΙΟΥ-
ΔΑΙΩΝ ΠΡΕCΒΕΥΤΑΙ. ΑΝΔΡΕC. ΑΓΑ-
ΘΟΙ. ΚΑΙ
ΣΥΜΜΑΧΟΙ. ΔΙΕΛΕΧΘΗCΑΝ. ΑΝΑ-
ΝΕΟΥΜΕΝΟΙ
ΤΑC. ΠΡΟΥΠΗΡΓΜΕΝΑC. ΠΡΟC. ΡΩ-
ΜΑΙΟΥC
ΧΑΡΙΤΑC. ΚΑΙ. ΤΗΝ. ΦΙΑΛΗΝ. ΚΑΙ
ΑCΠΙΔΑ
ΧΡΥCΗΝ. ΣΥΜΒΟΛΟΝ. ΤΗC. ΞΥΜ-
ΜΑΧΙΑC
ΓΕΝΟΜΕΝΗΝ. ΑΝΗΝΕΓΚΑΝ. ΑΠΟ
ΧΡΥCΩΝ
ΜΥΡΙΑΔΩΝ. ΠΕΝΤΕ. ΚΑΙ. ΓΡΑΜ-
ΜΑΤΑ
ΑΥΤΟΙC. ΗΞΙΩCΑΝ. ΔΟΘΗΝΑΙ.
ΠΡΟC. ΤΕ
ΤΑC. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥΜΕΝΑC. ΠΟ-
ΛΕΙC. ΚΑΙ. ΠΡΟC
ΒΑCΙΛΕΙC. ΥΠΕΡ. ΤΟΥ. ΤΗΝ. ΤΕ.
ΧΩΡΑΝ
ΑΥΤΩΝ. ΚΑΙ. ΤΟΥC. ΛΙΜΕΝΑC
ΑΔΕΙΑC
ΤΥΓΧΑΝΕΙΝ. ΚΑΙ. ΜΗΔΕΝΑ. ΑΔΙ-
ΚΕΙCΤΑΙ

ΕΔΟ

ΕΔΟΞΕ. ΔΕ. ΣΥΝΘΕCΤΑΙ. ΦΙ-
ΛΙΑΝ. ΚΑΙ. ΧΑΡΙΤΑC
ΠΡΟC. ΑΥΤΟΥC. ΚΑΙ. ΟCΩΝ.
ΕΔΕΗCΤΗCΑΝ. * ΤΥΧΕΙΝ
ΤΑΥΤΑ. ΑΥΤΟΙC. ΠΑΡΑCΧΕΙΝ.
ΚΑΙ. ΤΗΝ. ΚΟΜΙ
CΤΕΙCΑΝ. ΑCΠΙΔΑ. ΠΡΟCΔΕ-
ΞΕCΤΑΙ
ΤΑΥΤΑ. ΕΓΙΝΕΤΟ. ΕΠΙ. ΥΡΚΑ-
ΝΟΥ. ΑΡΧΙΕΡΕΩC
ΚΑΙ. ΕΘΝΑΡΧΟΥ. ΕΤΟΥC. ΕΝΝΑ-
ΤΟΥ. ΜΗΝΟC
ΠΑΝΕΜΟΥ

Erant & privata Cæſarum Tabularia, ſive ἀρχεῖα Palatina, quorum Veteres inſcriptiones mentionem faciunt, & Hyginus Aug. Cæſ. (ni fallor) Libertus in libello, *de Limitibus conſtituendis*, his verbis: *Libros æris & Typum totius perticæ* 1 *lineis deſcriptum ſecundum ſuas terminationes, aſſcriptis* 2 *finibus, Tabulario Cæſaris inferemus.* paullò etiam infrà: *Et quidquid aliud ad inſtrumentum menſorium pertinebit, non ſolùm Coloniæ, ſed & Tabularium Cæſaris, manu conditoris ſubſcriptum*

* Recte Joſephus ἐδεήθησαν.
1 Al. *linteis.* 2 Al. *affinibus.*

scriptum habere debet. [1] Erant & Tabularia alia publica ad Atrium Libertatis, & ad ædem Nympharum, in queis rerum minorum tabellæ, sive Acta publica, continerentur. sed quia istæ sermonis ἐκβολαὶ institutum nostrum retardant, lectoribusque tædio sæpè sunt & molestiæ; in Capitolium revertemur.

CAPUT XXXI.

Coronæ Aureæ *Capitolinæ multæ & magni ponderis: Mos & caussa eas dicandi. Ducum quorundam heic ostentatio. Petillius de Coronâ subreptâ postulatus.* Custodes Capitolii, & Tutellæ *ejus* Redemptores. Diadema *Cæsaris in Capitolium missum. Ridicula Marliani negligentia.*

Ducum Triumphantium munus *Coronæ* etiam *Aureæ* erant, egregium Jovi ἀνάθημα:

1 Liv. lib. 43. Cic. pro Milone. Lipf. ad An. 5. Taciti.

θημα : aut Populorum Regumque, P. R. συμμαχίαν sibi istâ ratione gratulantium. Harum quæ in Capitolio magnificentia ac multitudo fuerit; vel ex iis, quas superstitibus in libris Livius recenset, aliquam licebit æstimationem facere. Marlianus ὁ τυφλὸς ὁδηγὸς, & secutis eum Rosinus, unius tantum aut alterius inibi meminerunt. ego ex Livio istas subnotabam, posterioris maximè generis; Quas dehinc ordine temporum observato, tanquam ex Nomenclatore, recitabo.

1 Primi (quod sciam) Legati Latinorum, fœdere cum Romanis circa annum v. c. CCLIX. inito, donum Jovi Coronam auream miserunt. quo anno Rex Tarquinius, Capitolii conditor, Cumis extremum diem obiisse creditur.

2 Anno post eam conditam CCCVI. statim à secessu plebis in montem sacrum, iidem Latini cum Hernicis, concordiam P. R. gratulati, aliam attulerunt.

3 Anno v. c. CCCCXII. cùm de Samnitibus Triumphatum esset; Carthaginienses Legati gratulatum missi, cum Coronæ aureæ dono XXV. P. quæ in cællâ Jovis poneretur.

Quar-

1 Liv. lib. 2. 2 Lib. 3. 3 Lib 7.

[1] Quarto verò & decimo belli Punici, Legati Saguntini cum aliâ Coronâ, incerti ponderis, Jovi item dedicandâ.

[2] Anno V. C. IↃLVII. Legati ab Rege Attalo venerunt cum Coronâ CCLXVI. P. sive (ut alii libri habent) CCLVI.

Paucis interjectis annis, [3] alia à Rege Philippo Jovi missa, C. P. & ab Alabandensibus altera, dimidio minor.

Eodem tempore Lampsaceni [4] LXXX. P. Coronam donaverunt, & Pamphyliorum Legati aliam ex viginti millibus Philippæorum factam. *quam iis Senatus in Capitolio ponere, & apud eam sacrificare permisit.* * Hæc Populorum aut Principum externorum munera. nec illarum minor numerus, quas Duces Romani Triumphantes Deorum Regi posuerunt; etsi Scriptorum iis recensendis diligentiam interdum desiderem.

[4] Mamercus AEmilius Dictator traditur Fidenatibus, Faliscis, & Vejentibus devictis, coronam auream *Libræ pondo* ex pecu-

O niâ

1 Lib. 28. 2 Lib. 32.

3 Anno. V.C. D LXXX. IV. lib. 36. 4 Lib. 34. Immo lib. 43. cap. 6.

* Hæc narrat sane Livius XLIV. 14. Sed cur ita contrahantur, ut senatus dicatur permisisse eis, ut apud coronam istam sacrificent, non liquet.

5 Liv. lib 4.

niâ publicâ posuisse. prout res P. R. tum adhuc inopes erant.

Aliam *duarum Librarum pondo & Trientis* T. Quinctius Dictator, cùm per novem dies totidem urbes, & decimam Præneste cepisset. sic enim pretium ejus *Trientem tertium Pondo*, è CincI Mystagogico, Festus interpretatur.

Quod omnes Triumphantes facere etiam solitos Plinius testatur, ubi de Coronis: 1 *Inde natum* (inquit) *ut etiam Triumphaturis conferrentur in Templis dicandæ.* Ubi de aureis eum loqui Festus ostendit in *Triumphales Coronæ*: *quas temporibus* (ait) *antiquis propter paupertatem laureas fuisse*, *quæ* suo tempore *Imperatori Aureæ præferrentur*: Ut dubium non sit quin & artificii præstantiâ, & materiæ pretiositate, ac donantium multitudine, Coronæ Capitolinæ summam loco æstimationem; maximam verò spectantibus admirationem attulerint. Nam (ut stillicidium hauriamus è situlâ) Triumpho uno Scipionis Asiatici, Coronæ aureæ CCXLIII. 2 & altero Q. FulvI Flacci, Coronæ aureæ CXXV. prælatæ leguntur. ut Cæsaris Dictatoris & aliorum Triumphos taceamus.

quas

1 Lib. 16. c. 3,
2 Lips. Admir. lib. 2. c. 9.

quas etsi omnes Capitolino Templo illatas fuisse affirmare constanter non audeam; maximam tamen earum partem non dubito I. O. M. in Templo Maximo esse consecratam. Adhæc Pii Principes, Vespasianus Aug. 1 *Coronas ex Cinnamomo, interrasili auro inclusas, in Templis Pacis & Capitolii dicavit*; & Probus, * *Coronas aureas, quas sibi obtulerant omnes Galliæ civitates*, JOVI OPT. MAX. DIS, DEABUS, *Senatus manibus*, CONSECRARI *voluit*. Igitur necessarium fuit Thesauris hujusmodi ab injuriâ defendendis custodes adponi, quos 2 TUTELLAE CAPITOLI REDEMPTORES appellare videtur Plinius lib. XXXV. C. III. è quorum numero *M. Aufidium* ipse nominat; & Horatius, in Satyris, *Petillium Capitolinum* quemdam, de Coronâ aureâ subreptâ sub Augusto postulatum. qui tamen ægrè defensantibus multis judicio tandem absolutus est. Unde *duram* ejus *caussam* Horatius vocat Satyrâ X. sed non sine suspicione criminis deinceps ætatem egisse ostendunt ista, quæ decerpsimus, è Satyra IV.

—— *mentio siqua*

1 Plin. lib. 12. c. 19.
* Vopiscus Aurelian.
2 Et alibi TUTELARES.

De CAPITOLINI *furtis injecta* PETILLI
Te coram fuerit; defendas, ut tuus est mos:
Me Capitolinus convictore usus, amicoque à puero, caussaque meâ permulta rogatus
Fecit, & incolumis lætor quod vivit in urbe;
Sed tamen admiror quo pacto judicium illud
Fugerit.

Numismata vetera argentea, capite XII. hujus Commentarii posita, quæ unâ ex parte Capitolii, ex alterâ Aquilæ, aut Jovis Capitolini effigiem expressam habent, cum nomine PETILLIUS. CAPITOLINUS. an ad reum istum pertineant, haud proclive adeò sit dicere: tamen cognomentum istud CAPITOLINI satis ostendit penes PETILLIAM Gentem plerumque Capitolii custodelam fuisse. In Veteri enim Glossario quod LovanI M. S. inspexi, sic erat: CAPITOLINUS, *id est, Capitolio serviens.* Parum autem abest, quin nec immeritò, nec injuria, factum dicam ut Petilliorum aliquis (etiam innocens) [1] accusaretur,

[1] Liv. lib. 38. Auctor. de V. ill. Val. Max. alii.

retur, cùm iidem ante P. Scipionem Africanum, innocentissimum virum, unà cum Nævio Tribuno Pleb. repetundarum accusâssent. quem tamen & sua auctoritas, & P. R. benevolentia laudabiliter absolvit. Ex eâ consuetudine Coronas in Capitolio deponendi fecisse etiam videatur Dictator Cæsar, cùm Lupercalibus oblatum sibi à M. Antonio, & Collegiis Sacerdotum, [1] Regale Diadema in Capitolium statim misit; responso dato: SOLUM JOVEM ROMANORUM REGEM ESSE. quò modestissimo facto ambitiosissimi animi impetum piè prudenterque apud populum Romanum dissimularet.

1 Sueton. Cæs. Plutarch. Dio lib. 44.

CAPUT XXXII.

JOVI *tamquam Regi* Purpura *dicata*, & Vestes *aliæ pretiosæ. quid* Sandyx *in Virgilio & Vopisco. Donariorum sumtuositas à Platone, Alexandro Severo, & Lactantio reprehensa. LipsI emendatiuncula rejecta. Epithet on* Inane *ferè mortuorum esse.*

Igitur quia JUPPITER εἷς τῶν Ῥωμαίων κοίρανος, εἷς βασιλεὺς, testimonio etiam HoratI:

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis;

alia consuetudo nata ut inter Donaria Capitolii sacra *Purpura* etiam *Regia* poneretur. cujus rei clarum testimonium est in Aureliano Vopisci, his verbis: *Meministis enim fuisse in Templo Jovis Opt. Max. Capitolini pallium breve purpureum lanestre, ad quod quum matronæ, atque ipse Aurelianus, jungerent purpuras suas, cineris specie decolora-*

ri

ri videbantur cætera, Divini comparatione fulgoris. Hoc munus Rex Persarum ab Indis interioribus sumtum Aureliano dedisse perhibetur. Erat id pallium *Sandyce Indicâ tinctum.* [1] cujus ut pretiosissimi muricis Virgilius etiam meminit in Eclogis:

> *Sponte suâ Sandyx pascentes vestiet agnos.* [2]

& Sidonius in Epithalamio Polemii & Araneolæ:

> *Ebria non solùm spirat conchylia Sandyx.*

Quam *Sandycem* herbam esse putavit interpres Servius, atque inde Sandycinum fieri colorem. deceptus fortè verbis Plinii [3] lib. xxxv. cap. vi. qui similem (sed immeritò) sapientissimo Poëtæ opinionem attribuit. Erat enim *Sandyx* coloris nomen, cujus compositionem ex Sandarachâ & Rubricâ Plinius docet laudato loco. Unde & cum *Sandarachâ factitiâ* Vitruvii [4] quidam confuderunt: quâ de re doctissimos viros Hadrianum Junium in Nomenclatore, Dalechampium in citatum librum Plinii, & Philandrum (si libet) Vitruvianum Interpretem

O 3 dis-

1 Vopisc. ibid. 2 Eclog. IV. 3 Ubi Dalechampium vide.
4 Lib. 7. c. 12.

disputantes vide. De superstitioso Ritu Vestes Capitolio offerendi, sic etiam Lampridius Alexandro. *Dimisso Senatu Capitolium conscendit, atque inde re divinâ factâ, & Tunicis Persicis in Templo locatis, hujusmodi concionem habuit.*

Tunicæ istæ è prædâ militari erant, atque indè pretium earum colligitur quòd tam nobili in loco fuerint à victore Cæsare locatæ. Quam Donariorum sumptuositatem irrisit è nostris Lactantius lib. 11. *His* (Deos intelligit) *Peplos & indumenta preciosa, quibus usus velaminis nullus est; his Aurum & Argentum consecrant. quæ non tam habent, qui accipiunt; quàm qui illa donârunt.* Et Divinus apud [1] Tullium Plato. cujus verba etsi longiuscula, quia Romulæ illius Suadæ ore sonantia, non pigebit exscribere. Ait igitur: *Aurum & Argentum in urbibus & privatim, & in fanis, invidiosa res est. Tum ebur ex inani corpore extractum, haud satis castum donum Deo.* (Lipsius *ex immani corpore* legebat. quod non probo. nam & alibi observatum epitheton *inane* [2] ad Funeralia & Mortualia pertinere.) *Jam æs atque ferrum duelli instrumenta, non fani. ligneum autem, quod*

1 2. de Legib. 2 Apud Virgilium, Statium, & alios.

quod quis voluerit uno è ligno dedicato: itemque lapideum iu Delubris communibus. Textile ne operosius, quàm mulieris opus menstruum. color autem albus præcipuè decorus Deo est. tum in cæteris, tum maximè in textili. tincta verò absint nisi in bellicis insignibus. Divinissima autem dona habent & formæ, ab uno pictore absolutæ die. itemque cætera hujus exempli dona sunto. Cui Platonicæ doctrinæ Alexander Imperator assentiri visus, qui (teste Lampridio) nihil auri aut argenti in Templis unquam posuit, semper in ore habens illud Persianum:

> *Dicite Pontifices, in sacro quid facit Aurum?*

Usus tamen evicit ut aliter heic Vulgus, aliter Sapientes & cordatiores homines sentirent.

CAPUT XXXIII.

De Columnis Roſtratis *aliquid dictum, quæ in Capitolio ÆEneæ, Inauratæ. Aliæ aliorum locorum.* Mos *&* *cauſſa eas dicandi. eadem cum* Arcubus Triumphalibus *aut* Τροπαιοφόροις. *Hi quoque in Capitolio, etiam extra Romam. magnus eorum in Romano numerus: Ornamenta varia. Antiquariorum De* Arcu Trajani *inſignis error.*

Defunctum me rebar Militaris Munificentiæ adparatu; cùm ecce recordatio oboritur Roſtratarum Columnarum, quas in Navali victoriâ S. P. Q. publicè conſecrabat. [1] Plinius lib. XXXIIII: *Antiquior* (Statuis) *celebratio columnarum. ſicut C. Duellio, qui primus Navalem Triumphum egit de Pœnis, quæ eſt etiamnum in Foro.* Ea è candido marmore olim fuit Silii teſtimonio, qualem

1 Cap. 5.

lem ipſe depictam in Linternate Porticu ab Hannibale conſpici fingit: [1]

Æquoreum juxta decus, & navale Tropæum,
Roſtra gerens niveâ ſurgebat mole columna,
Exuvias Marti, donumque Duilius alto,
Ante omnes, merſâ Pœnorum claſſe dicabat.

Similes columnas Julius Cæſ. Dictator (auctore [2] Servio) honori ſuo Romæ poſuit: *unam in roſtris, alteram ante Circum in parte januarum.* Sed & Capitolium (quod volebam) hujuſmodi ornamenta habuit, ex ære potiſſimùm formata. Claudianus enim in Panegyrico ad Honorium numerat in Capitoli ornamentis:

Æraque veſtitis numeroſâ puppe columnis
Conſita.

Quæ in eodem Panegyrico alibi oſtendit inaurari ſolere. Sic enim Roma loquitur:

Aſt ego frænabam geminos quibus altior ires
Electi candoris equos, & nominis ARCUM

1 Lib. 6.
2 In 3. Georg.

Jam molita tui, per quem RADIANTE *decorus*
Ingrediere TOGA; *pugnæ monimenta dicabam*
DEFENSAM *Titulo* LIBYAM *testata perenni.*
Jamque parabantur pompæ simulacra futuræ,
TARPEIO *spectanda* JOVI, CAELATA *metallo*
CLASSIS, *ut auratos sulcaret remige fluctus.*


quæ prolixiùs adscribo, quia plera in iis Capitolii Ornamenta: *Arcus Triumphales*, *Tropæa*, *Tituli*, sive *Indices*, & *Columnæ Rostratæ*. Talem in Capitolio columnam agnoscit & [1] Livius *bello Punico priore positam à M. Aemilio Cos.* (*cui collega Ser. Fulvius fuerat*) *totam mox ad imum fulmine discussam.* Servius quoque Honoratus ad Virgilianum illud:

— *Navali surgenteis ære columnas*; [2]

Augustus (inquit) *victor totius Aegypti, quam Cæs. pro parte superaverat; multa de navali certamine sustulit Rostra, quibus conflatis* IV. *effecit Columnas: quæ posteà à Domitiano in Capitolio sunt locatæ.* Unam earum columnarum,

1 Lib. 42. 2 Ibid.

mnarum, cum ſtatuâ Aug. ſuperpoſitâ, videre eſt in veteribus ejus Numis; quemadmodùm & Titi Cæſ. quos Auguſto reſtituit; & nos poſt Torrentium alioſque effingi curavimus: [1] Julius Philargyrius, alter



Virgilii Scholiaſtes, eum honorem ab Auguſto cum M. Agrippâ, genero ſuo, communicatum putat, qui unde hoc hauſerit neſcio. Dio quidem libro LI. *Agrippam*, ſcribit, *præter alios honores Vexillo cæruleo (quod Navalis victoriæ teſtimonium eſſet) à ſocero donatum*; qui tamen illi honores eſ-

O 7 ſent,

1 In 3. Georg.

ſent, non expreſſit. Ex eâdem conſuetudine Senatus Galbæ Cæſ. [1] *Statuam decreverat Roſtratæ columnæ ſuperſtantem in parte fori, quâ trucidatus eſt; ſed decretum D. Veſpaſianus abolevit.* Plura non addam in re tam vulgatâ; ſed quia (teſte [2] Plinio) eadem Columnarum & Arcuum Triumphalium olim ratio fuit: *attolli ſupra cæteros mortaleis*; ſciat Lector ſpecioſiſſima hæc Victoriæ monimenta in Capitolino monte ſæpè etiam erecta. Cornel. Tacitus in rebus Neronis: [3] *At Romæ tropæa de Parthis, Arcuſque medio Capitolini montis ſiſtebantur, decreta ab Senatu medio adhuc bello; neque tum omiſſa, dum adſpectui conſulitur, ſpretâ conſcientiâ.* ſignificat Senatum etſi rei malè geſtæ conſcium ornamenta tamen iſta, metu Cæſaris, in Capitolio derelinquenda cenſuiſſe. Sed numquid Numi quidam Veteres Neroniani eum Arcum adhuc oſtendunt? Judica Lector ex effigie ejus, quam ab Ampliſſimo & Reverendo V. Dionyſio Tillerio nobiſcum communicatam, operæpretium putavi heic inſerere: Sicuti & alterius illius, qui in numo Tra-

1 Sueton. Galba.
2 Lib. 34. c. 6.
3 Lib. 15.


S C


S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI
I.O.M.
S C

Trajani à Choulio, aliiſque, vulgato; cum Inſcriptione I. O. M. à Senatu fortè ob victoriam Dacicam erecti. Falſò Antiquarii Jovis Templum eſſe tradiderunt, errore ducti Inſcriptionis; & vel ideò appingendum putavimus. Agnoſcit Trajani Arcum, in foro ipſius, Dio lib. LXVIII. qui an numo iſto ſignatus ſit non planè auſim affirmare. certè multa in eo ſpolia, Tropæa, ſigna, ſimulacra Victoriarum expreſſa qualia in foro Trajani agnoſcit Agellius [1] his verbis: *In faſtigiis fori Trajani ſimulacra ſunt ſita, circùm undique inaurata, equorum atque ſignorum militarium. ſubſcriptumque eſt*: EX MANUBIIS. & in Arcubus Capitolinis Claudianus Panegyrico dicto:

—— ſpoliiſque micantes
Innumeros ARCUS, *acies ſtupet igne metalli*:
Et circumfuſo trepidans obtunditur auro.

Fuit cùm hæc poſtrema ad Tecti Capitolini deaurationem traherem, ſed nunc eam interpretationem cum poſteriore non muto. Dicit ecce Poëta, *Innumeros arcus*. & nos (o vicem rerum humanarum!) laboramus ut ūnum aut alterum è veteribus monimen-

cis

1 Lib. 13.

tis protrahamus. Septimianum in radice clivi Capitolini, terrâ pene defossum, adhuc spectamus: [1] cum alatis Victoriis, tropæa gestantibus, terrestris navalisque belli simulacris, & hoc Titulo:

IMP. CAES. LUCIO. SEPTIMIO M. FIL. SEVERO. PIO. PERTINACI

AUG. PATRI. PATRIAE. PARTHICO. ARABICO. ET. PARTHICO

ADIABENICO. PONTIF. MAXIMO. TRIBUNIC. POTEST. XI. IMP.

XI. COS. III. PROCOS. ET. IMP. CAES. M. AURELIO. L. FIL.

ANTONINO. AUG. PIO. FELICI. TRIBUNIC. POTEST. VII. COS. PROCOS.

P. P. OPTIMIS. FORTISSIMISQ. PRINCIPIBUS. OB. REMPUBLICAM.

RESTITUTAM. IMPERIUMQ. POPULI. ROMANI. PROPAGATUM.

INSIGNIBUS. VIRTUTIBUS. EORUM. DOMI. FORISQUE.

S. P. Q. R.

Cæ-

1 Cujus effigiem quia nullus hactenus non edidit, edendam heic non putavi.

Cæteros omnes unà cum Templo ipſo,
Hauſit longa dies, & inextricabile fatum.

Neque Romæ modò, in principe Terrarum orbis loco, ſed & peregrè in coloniis eadem magnificentia uſurpata. quod in Capitolio Veſontionenſi Sequanorum præclara Triumphalium ἀψίδων monimenta, etiamnum durantia, vivo & ſpectabili argumento cuivis probaverint.

CA-

CAPUT XXXIV.

Ad Templi πάρεργα perventum. Eximiæ in iis Porticus *à Censoribus fabricatæ. penes illos Operum olim cura. ἐλαττωμάτιον in Livio observatum.* Curia Kalabra. Senatulum. *De vero* Clivi Capitolini *positu quæsitum. Alii Capitolii & Arcis aditus.* Centum gradus Concordiæ. *Porticus Temporariæ Cæs. Suppositiæ aliorum.*

Absoluto Capitolii τῷ ἔργῳ, cum Donariis ornamentisque suis omnibus; restant πάρεργα nobiliora quædam, seu nobilissimi Templi appendices, nec illæ quidem sub silentio nobis transmittendæ. In his primarium facilè locum habent magnificentissimæ Porticus, quîs ad invidiam reliquæ urbis magna pars Sacri istius montis obsessa. Virgilius in AEneid. VIII. de isto loquens:

At-

Atque heic AURATIS *volitans argenteus anser*
PORTICIBUS, *Gallos in limine adesse canebat.*

Livius lib. XLI. de Censs. 1 Q. Fulvio Flacco, & A. Postumio Albino: *Clivum Capitolinum silice sternendum curaverunt, & Porticum ab æde Saturni in Capitolium ad Senatulum, ac super id Curiam. Senatulum* aut *Senaculum* quoddam inter Capitolium & forum fuisse Nicostratus 2 memoriæ prodidit, in libro, qui inscribebatur, *De Senatu habendo.* ubi deinde fabricata est AEdis Concordiæ. quòd si in eo loco, planè situs ejus humilior quàm ut extendi commodè ad id Porticus potuerit ab æde Saturni, quæ & ipsa in imo clivo Capitolino. Puto igitur præpositivam particulam in Livio νοθδέεσθαι, rescribendumque: *& Senatulum ac. s. i. Curiam.* vult enim ea loca pariter silice strata, sicut Porticum illam Capitolinam. nam & hujusmodi ædificia sic sterni consuêsse idem scriptor infrà probat de Censs. iisdem, cùm ait, *extra Portam Trigeminam in Aventinum Porticum silice sternendam curavisse,* & nonnulla alia, quæ loci corruptela nobis invidit.

1 Anni v. c. DXXIX. 2 Apud Festum, hac voce.

dit. De ſilice lapide vide (ſi tanti eſt) Plinium lib. XXXVI. Vitruvium lib. II. c. VIII. atque alibi. & Lipſium noſtrum Admir. lib. III. c. X. qui laborem hîc noſtrum mitigavit. *Curiam illam* in loco Liviano *quæ ſuper Senaculum*, *Kalabram* intelligo, [1] *unde Pont. Minor Kalabat dies*, quæ planè in illo tractu. ut veteres quædam parietinæ adhuc teſtantur. ſuperpoſita etiam illa Templo JOVIS TONANTIS, è cujus ruinis tres ingentes columnæ cum nobiliſſimo Zophoro in clivo adhuc manent, pretioſiſſimi operis, & ſuperbiſſimæ materiæ manifeſta teſtimonia. [2] Alterius Porticus è magnificis, in Capitolio, meminit Velleius à P. Scipione Naſicâ item Cenſore fabricatæ: anno circiter V. C. DXCIV. ſecundum Faſtos Capitolinos. penes Cenſores enim tum operum Publicorum cura. eoque ſpectavit Cicero de Legibus: *Cenſores Urbis Templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuentor.* In eâ Scipionis Porticu videtur Turma Statuarum Equeſtrium à Q. Metello Scipione poſita, de quâ ſuprà c. XXVI. diligenter egimus. Cornelius Tacitus III. Hiſtor. *Porticus* antiquas *in latere clivi Capitolini* agnovit, *dexterâ ſubeuntibus*,

1 Macrob. lib. 1. Serv. in 9. AEneid. Varro 5. de L. L. 2 Lib. 2. Hiſt.

tibus: quas ad Nasicam auctorem multi referunt, ego à censoribus malim Q. Fulvio Flacco & Postumio ejus collega constructas. nam de Porticu laterali ipsius Templi (quod vir magnus nuper opinatus) οὐδεὶς λόγος. Poggius sanè (fide Fabricii) [1] testatum reliquit Porticum quamdam suo ævo penè adhuc integram in Clivo Capitolino, ad forum, dejectam, ejusque columnas, (nequid barbaræ immanitati deesset) in calcis usum fuisse consumptas. Incerta itaque in Porticuum situ heic omnia. de Clivo tamen aliquid certi statuere se profitentur Antiquarii, etsi in varia & incerta sæpe opinionum divisi. Mihi si suffragii relictum etiam aliquod jus est. post tam multos nobilesque Senatores, existimarem illum κατ' ἐξοχὴν dictum CLIVUM foro Romano ab AEde Vestæ, præ Concordiæ Templo, centum gradibus ad rupem Tarpejam protensum fuisse. Affirmare id videntur Ovidius III. Fastor:

Arduus in valleis & fora Clivus erat;

M. Varro [2] de LL. *Dies qui vocatur quando stercus delatum fas, ab eo adpellatus, quod eo Die ex æde Vestæ stercus everritur, & per Capitolinum Clivum in locum deportatur certum.*

Ta-

1. In Româ suâ c. II. 2. Lib. 5.

Tacitus citato lib. *Diverſos Capitolii aditus invadunt, juxta lucum Aſyli, & quà Tarpeja rupes centum gradibus aditur.* Juxta eos Gradus Templum erat Concordiæ, inde *Concordiæ* etiam vocati. * Cicero Philipp. VII. *Occulta enim fuit eorum voluntas judiciumque de M. Antonio, qui frequentiſſimi in Gradibus Concordiæ ſteterant.* eademque ferè repetit in Philippicâ II. ubi *callæ Concordiæ in clivo* diſertim meminit.

Templo Concordiæ è centum gradibus imminebat AEdes Monetæ, in ipſo Arcis ingreſſu fabricata. de quâ Ovidius in eodem opere:

Quà fert ſublimeis alta MONETA *gradus.*

Ex oppoſito ejus Templi, dextrà è foro ſubeuntibus, AEdes erat Jovis Tonantis. quem ideò Auguſtus ſomnians reſponderat, JOVI CAPITOLINO *Janitorem adpoſuiſſe*, quia nimirum illhinc maximè adibatur. In eum Clivum Via Sacra deſinebat. quod docere C. Plinius videtur lib. XIX. [1] *Cæſar Dictator totum Forum Romanum intexit, Viamque Sacram ab domo ſuâ ad clivum Capitolinum.*

* Multum diverſi, ut animadvertit Alex. Donatus lib. II. de Roma cap. 8.

1 Cap. 1

num, qui & sacer ipse habitus, ac proinde idem Cæsar triumphans genibus [2] eum ascendit. Horatius lib. IV. Ode ad L. Antonium:

Concines majore Poëta plectro
Cæsarem, quandoque trahet feroces
Per SACRUM CLIVUM * *meritâ decorus*
Fronde Sicambros.

Fuêre & aditus alii non incelebres à Luco Asyli, Portâ Carmentali, Velabro, & Theatro Marcelli, quod veteres scriptores, & ruinæ quædam olim detectæ, testantur. Aliud de Porticibus Capitolinis quod adjungam non habeo, nisi Constantinianam quandam à Fabricio in illis nominari. & alteram Metellinam à Marliano, sed illi vellem auctores suos nominassent. Addam corollarium de magnificentiâ AEdilitatis Cæsarianæ, quæ apud Suetonium in Cæsare: *AEdilis* (inquit) *præter Comitium, ac Forum, Basilicasque, etiam Capitolium ornavit Porticibus ad tempus exstructis, in quibus abundante rerum copiâ pars apparatus exponeretur.* quod ita interpretandum cum Doctissimo & Amplissimo

1 Quod & alii Principes fecere.
* Non ad Capitolium, sed ad Palatium intelligit Donatus lib. II. cap 12.
2 Cap. 10.

mo & Amplissimo Torrentio nostro puto, ut quæcunque AEdilitii muneris Forum aut Comitium non cepisset, ea in Capitolio populo spectanda sint proposita. De eadem AEdilitate, verè splendida atque magnificâ, multa idem Suetonius, & diligentior Suetonio Plutarchus [1] adnotaverunt: ad quæ Lectorem nostrum remitto.

Caput XXXV.

Bibliothecæ *in Templorum Porticibus, & fortè CapitolI. ejus rei caussa & origo* Capitolinæ, *investigata. Hæc sub Commodo incensa, & à Gregorio demum PP. destructa.* Auditorium Publicum *omnis disciplinæ in Capitolio.* Poëmata *etiam ibi recitata. quid* Commissiones? Neronis Carmina *Jovi dedicata.*

Porticibus Capitolinis Bibliothecam subjungo, quia in Porticibus [2] sæpè illam

1 Et præter istos Dio lib. 37. 2 Lipf. de Biblio.c.6.

Veteres posuerunt. iis maximè quæ Templorum ædificiis adjunctæ: qualis Romæ, ad Apollinis in Palatio, & Templum Pacis: Tibure, ad Herculis: Alexandriæ, ad Augusti: Athenis, ad Pantheon ab Hadriano constructum: atque aliæ sic alibi. Sed eadem (ut opinor) ex caussâ, quia Deo auspice optimum studia profectum sperabant habitura. Inde nobile illud Principis Poëtæ:

Ab Jove principium Musis, Jovis omnia plena.

Et Solensis Arati [1] ἐν τοῖς Φαινομένοις:

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα. τὸν οὐδέ ποτ᾽ ἄνδρες ἐῶμεν
Ἄρρητον.

Quos etiam Cicero imitatus in II. de Legib. *A Jove Musarum primordia sumenda esse putavit.* Merito igitur apud Jovem Capitolinum Jovis etiam filiabus domicilium constitutum: quod adfirmat Eusebius Chronologus in rebus Commodi Imperatoris; *In Capitolium* (inquit) *fulmen ruit, & magnâ inflammatione factâ Bibliothecam & vicinas quasdam ædes concremavit.* adfirmat & Paullus Orosius verbis c. XI. a nobis citatis. Quis Bibliothecæ hujus auctor fuerit citius liceat di-

1 Simile Theocrit. Eidill. 17. in initio.

divinare cum * Lipſio, 1 quàm certum quid arbitrari. ille quidem Domitianum ſuſpicatur, permotus iſtis Suetonianis. *Bibliothecas incendio abſumptas impenſiſſimè reparari curavit, exemplaribus undique petitis: miſſiſque Alexandriam, qui deſcriberent emendarentque.* Sed ibi de reparatis ſcriptor ille tantum, de noviter conſtructis ne γρῦ quidem. Sed quid ni alios potius Principes ſuſpicemur Sullam Dictatorem, Capitolii reſtauratorem, Julium Cæſ. D. Auguſtum? quorum in libris conquirendis diligentia atque cura à Suetonio, aliiſque, impenſe laudata? 2 Certè de primo illorum noſtra omnino ſuſpectio eſt, qui poſt expilatas Athenas Atticas, magnamque librorum vim inde aſportatam, nullibi videtur commodius aut honorificentius, quam in Capitolio, deponere potuiſſe. Idque inpræſentiarum ſic optimum videtur:

—— ἐπεὶ οὐ μήν τι παρὰ προνοῆσαι ἄμεινον;

Si tamen per Dictatorem illum Litterarium licebit. De interitu ejus Bibliothecæ notiora

P 2

* In hanc confeſſionem delabitur quoque Alex. Donatus 11. 9. poſtquam abſurde oſtentaviſſet ſe obtrectatorem Rycquii.

1 Ibidem. 2 Plutarch in ejus vitâ.

ra paullò & exploratiora sunt omnia. incensa enim (uti diximus) sub Commodo, & posteriorum Principum sollicitudine denuo restituta, à Christianorum capite summo [1] D. Gregorio, quod nefanda (opinor) & superstitiosa volumina multa contineret, funditus eversa & combusta legitur. Multis tamen antea annis Auditorium publicum Bibliothecæ Capitolinæ additum, in quo Liberalis omnis Disciplina juventuti Romanæ explicaretur, fidem facit Lex singularis C. *de studiis liberalibus Urbis Romæ, & Constantinopolitanæ.* & Codice Theodosiano lib. XIV. L. III. eod. quam, si otium daretur, lubens totam adscriberem, eam maximè ob caussam, quia maximorum Principum benivolum erga litteras animum testatur, quas plerique hodiè etiam terræ filii fastidiosissimè contemnunt. Consueverant & Recitationes in ipso Templo Poëmatum fieri: de queis Horatius in Satyris:

Quæ, nec in AEde sonant certantia judice Tarpâ.

Eæ *Commissiones* à Suetonio appellatæ (ni fallor) Augusti c. LXXXIX. quibus ipse D. Augustus lubenter cum negotia permitterent, interesse solitus. Commissiones autem videntur

1 Sarisberi. Polycrat. lib. 8. c. 19.

dentur dictæ, quod ancipiti Criticorum examini atque arbitrio, præmiorum ſpe Poëſim ſuam hinc inde Recitatores permitterent. è quorum numero Metius ille Tarpa nominatur ab Horatio, citato loco, & in epiſtolâ, de Arte, ad Piſones:

—— in MetI deſcendat judicis aureis.

Commiſſionibus Theatralibus (nam & illic recitatum) ſpretâ Imperii Majeſtate ipſe Nero Imperator carmina ſua perlegit, *tanta univerſorum lætitia* (ait 1 Suetonius) *ut ob Recitationem ſupplicatio decreta ſit, atque pars carminum aureis litteris Jovi Capitolino dicata.* ſublatas tamen cenſeo Recitationes Capitolinas Agône ſacro, ad exemplum Eliaci certaminis, à Domitiano inſtituto. cujus ſolemnia atque certamina varia alteri Syntagmatis hujus libro, ceu Ritus Capitolinos reliquos, (cum bonâ legentium veniâ) reſervabo.

1 Nero. c. 10.

CAPUT XXXVI.

Aræ Capitolinæ *DIs & Principibus erectæ. adulatio circa illas maximè oppressâ R. P.* Aræ Votivæ *in periculis aut novâ relligione.* Θεῶ πρωτογόνῳ *ab Augusto erecta. Discrimen* Aræ & Altaris *è veteri Jure Pontificio observatum.* Podia *circa Templa.*

In Porticibus atque Areâ Capitolinis Aræ etiam passim atque Altaria erant, variis Divinitatibus variâ ex caussâ posita. quæ uti multum loco Relligionis, sic ornamenti & magnificentiæ non parum adferebant. Sic in Veteri Inscriptione [1] reperimus, ARAM. GENTIS. JULIAE. IN. CAPITOLIO. DEFORAS. PODIO. SINISTERIORE. existimo enim Podia ista Templi Porticibus circumposita, ad speciem aliquam, vel fortè profanam turbam amovendam. Meminit Ara-rum

1 Exhibui supr. c. 30.

rum Julio positarum Suetonius in vitâ c. LXXVI. his verbis : *Ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus, & sedem auream in Curia, & pro Tribunali Tensam,* * *& Ferculum Circensi pompa, Templa, Aras, simulacra juxta Deos.* quarum unam fuisse hanc Capitolinam quidni liceat suspicari ? Qui mos, adulatione temporum, mox fœdissimus irrepsit, ut Cæsaribus etiam vivis, tanquam DIs immortalibus, aræ ponerentur, & victimæ cæderentur. 1 Sic in eodem scriptore legimus Claudium Cæs. natum Kalendis Aug. Lugduni, *eo ipso die quo primùm ara ibi Augusto dedicata est*, & C. Caligulam Romam à Miseno tendentem, 2 *inter altaria & victimas ardenteisque tædas, densissimo & lætissimo obviorum agmine, incessisse.* De Domitiano, pessimo & ambitiosissimo principe, ita Panegyristes in laudatione Trajani : *Antè quidem ingentes hostiarum greges per Capitolinum iter, magna sui parte intercepti, divertere via cogebantur, cum sævissimi Domini atrocissima effigies tanto victimarum cruore coleretur, quantum ipse humani sanguinis profundebat.* sic de aliis Cæss. alii. Antiquior 3 tamen hu-

* Male sic distinxit Ryquius, pro *sedem auream in curia & pro tribunali, Tensam & fere.* 1 Claud. c. 2. 2 Calig. c. 13. 3 Lips. in 2. Hist. Taciti.

jus rei consuetudo est, quàm ut Augustali tempori initium ejus tribui debeat. Scribit enim Valerius (quod miremur) Q. Metellum Pium, impiè satis, 1 *in Hispania adventus suos ab hospitibus aris & ture excipi passum.* & de Mario Gratidiano apud Ciceronem legimus, ob rem numariam constitutam, *omnibus vicis statuas ei factas, & ad eas tus atque cereos.* 2 Sed apud alias quoque nationes idem usurpatum Justinus ostendit, perspicuo isto loco: *Arsinoë pragressa virum festum diem Urbi indicit, domos, Templa, cateraque omnia exornari jubet, aras ubique, hostiasque disponi.* Numquàm tamen frequentior ea adulatio, quàm oppressâ R. P. quùm levissimis ex causis nati, seu quæsiti potius, infiniti Tituli quibus Aras & Altaria Principibus, Domuique Augustæ aut Numinibus eorum Tutelaribus, Virtutibusque, ac Memoriæ sacrarent. Inde Aræ ADOPTIONIS, CLEMENTIAE, ULTIONIS, PROVIDENTIAE, FECUNDITATIS, AMICITIAE, PACIS, FIDEI, GENI AUGG. & siqua alia his similia aut germana, quæ veteres partim lapides & Numi, partim libri Historiæ Augustalis testantur sæpè in Capitolio, sæpè aliis in locis dicata. Antiquitùs tamen reli-

giosæ

1 3. de offic. 2. Lib. 24.

giosæ magis caussæ aras atque altaria sta tuendi, ut Votum in periculum Deo alicui conceptum, quò spectat vetus lapis Gallicanus:

PRAEPOSITO. JOVI. S.
TRIB. COH. X. PRAEF. CULTOR
NUMINIS. IPSIUS. PROFICISCENS
AD. OPPRIMENDAM. FACTIONEM
GALLICANAM. JUSSU. PRINCIPIS
SUI. ARAM. ISTAM. POSUIT.

1 Talis erat in Capitolio ara JOVIS SOTERIS, in quâ Gallicâ obsidione solutâ, coria soleasque veteres Romani concremaverunt: quibus durante illâ madefactis, & posteà frictis, vesci fuerant coacti. 2 Altera etiam JOVIS PISTORIS, ibidem,

Nomine quàm pretio celebratior,

in memoriam animosi facinoris, quo penuriam suam Quirites dissimulaturi panes in oppugnantem hostem ex arce jecerant. Simili ex caussâ Domitianus Aug. post pericula incendii Vitelliani, *dujecto æditui contubernio modicum sacellum* JOVI CONSERVATORI, *aramque in Capitolio posuit, casibus ibi suis in marmore expressis*. Præter votum

1 Serv. in 8. AEn: 2 Serv. ibid. Ovid. 6. Fast. Fronti. Stratag. lib. 3. Lactant. c. 20. Tacit. 3. Hist.

tum Religio etiam aliqua aut Pietas impellebat, maximè in novellum aliquod Numen. Sic *Iſidi* & *Sarapidi* AEgyptiorum, ſic *Mithræ* Perſarum, *Monetæ* Vejentium, *Semoni Sanco* Sabinorum, *Vertumno* Tuſcorum, *DIs Magnis* Samothracum, aliiſque innumeris aliarum gentium vel ſpontè acceſſitis, vel ex hoſtili Urbe evocatis, Templa, Sacella, Aras conceſſa & exſtructa legimus: idque ſæpiſſimè in Capitolio. quod *Deorum omnium Domicilium*, &, *Religionum publicarum caput ſummum* veteres propterea ſcriptores appellârunt. Ab illâ etiam Religione factum ut D. Auguſtus, 1 poſt Oraculum Delphicum de vero mundi CONSERVATORE JESU CHRISTO D. N. acceptum, his verbis:

> ΠΑΙΣ ΕΒΡΑΙΟΣ κέλεταί με θεοῖς μακάρεσσιν ἀνάσσων
> Τόνδε δόμον προλιπεῖν, καὶ ἀΐδην αὖθις ἱκέσθαι.

Aram in Capitolio erigi curaret, cum Inſcriptione: ΠΡΩΤΟΓΟΝΟΥ. ΘΕΟΥ. ſive: PRIMOGENITI. DEI. non ſine præſagio atque omine illam Urbem Arcemque futuram in quâ, auſpiciis ſacroſancti ejus Numinis, depulſâ ſuperſtitione veteri veræ Relligionis

1 Suidas in Αὔγουστος.

nis ac Pietatis ſedes olim ſtabiliretur. Omiſeram de diſcrimine Aræ & Altaris (quæ indifferenter nunc uſurpavimus) cum à veteribus differre nihilominùs putentur. M. Varro, doctiſſimus Romanorum , apud Servium , [1] ita diſtinguit , ut , *DIs Superis altaria , Terreſtribus aræ , Inferis foci attribuerentur.* cui ipſe Servius accedere videtur. Feſtus etiam Pompeius in *Altaria* , & Veranius , è F. Pictore , apud Macrobium. [2] tria enim iſta ſic diſtinctim nominat; *Exta porriciunto, DIs danto in altaria , aramve , focumve : quò exta dari debebant.* [3] Altaria itaque Solis ſuperis ſacra erant , ac proinde altiora; unde & nomen invenerunt. quanquàm fuêre qui libamina ipſa in aram infuſa *altaria* vocarent. origine omninò mihi obſcurâ , niſi fortè , quia ex alto infunderentur, unde dictum à Poëtâ :

—— *pateriſque altaria libant.*

è Pontificiis fortaſſe Indigitamentis , quorum myſteria nobis perierunt. altera tamen originatio certior , & inſtituto noſtro aptior omninò , qui heic non ſacrorum Ritus aut κρύφια : ſed ſacrarum ſtructurarum potiùs ornamenta deſcribemus.

1 In Eclog. 5. 2 3. Sat. c. 2. 3 Serv. & Feſt. ibid.

Caput XXXVII.

Quia Atrium Publicum *in Capitolio.* Atriorum ἔτυμον. μεσαύλιον, περιστῷον, Delubrum *alio sensu*, Favissæ *vel* Flavissæ, Thesauri, ὀμφαλὸν. Aquæ Marcia & Tepula *in Templum ductæ. earum fistulæ aliquando intercisæ. Ritus aquæ usurpandæ in sacris apud Romanos, Græcos, Etruscos, Hebræos.* Aquiminarium, Amula.

Ante ipsam (ut opinor) AEdem atrium publicum erat: de quo Livius lib. xliv. * *Prodigia multa nunciata sunt: tacta de cœlo Atrium publicum, in Capitolio, AEdem*

* Verba Livii sunt ex libro 24. c. 10. etiam Alex. Donatus lib. 2. c. 6. id intelligit de loco vacuo inter porticus & templum: at mox, inter portious appositas templo & alias remotiores propter loci dignitatem adjectas: denique credit in depressiore Capitolii parte aream fuisse, quam porticus ambierint, & sic appellatum.

AEdem in campo Volcani, Nucem, Publicamque Viam. Atrium autem, quid sit, docet nos Romanæ Architecturæ præceptor Vitruvius lib. VI. cap. IV. & egregie ut solet Festus Pompejus his verbis: *Atrium proprie est genus ædificii ante ædem continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluvia descendit.* mox adjungit τὸ ἔτυμον. *Dictum autem Atrium, vel quia id genus ædificii Atriæ primùm in Etruria sit institutum; vel quia à terrâ oriatur, quasi aterreum.* Græcis Grammaticis, auctore doctissimo [1] Hadriano Junio, μεσαύλιον & περιστῷον vocitatum. ac rectè quidem; sed in iis ædibus, quæ aulam aut Porticum ante atrium haberent: quales in Capitolinâ fuisse jam antè docuimus, Tabulis, Statuis, Picturis, Bibliothecâ, aliisque ornamentis copiosissimè instructas. Solebant namque in privatis etiam ædibus imaginibus gentilitiis, statuis heroicis, & pinacothecis, atria exornari: ut ex Plinii lib. XXXV. Juvenale, Valerio, Senecâ de Beneficiis, aliisque innumeris, vel pueris jam notum est. Præter hæc in Atrio Capitolino vasa etiam illa fuisse existimo aquæ continendæ parata, quâ se homines sacra adituri, usitato ritu, spargerent, & mini-

1 In Nomenclat.

ſtri ipſi in ſacris uterentur. de queis idem Feſtus Pompejus: *Faviſſæ. locum ſic appellabant, in quo erat aqua incluſa circa Templa.* cujuſmodi locum Cincius & Cornelius Fronto [1] ſupralaudati *Delubrum* etiam cenſuerunt appellandum. diverſâ tamen ratione; ille, *quòd ibi aqua curreret, à diluendo*; hic verò, *quia ibi homines pericula ſua diluerent.* niſi malimus ibi mendum eſſe (quod ferè ſubodoror) & pro, *pericula*, *peccata* reſcribendum. Diſpiciant eruditi. * De *Faviſſis* tamen aut *Flaviſſis* longè alia explicatio eſt in epiſtola M. Varronis [2] ad Serv. Sulpicium I. C. de hac voce ſciſcitantem. videlicet, *eſſe callas quaſdam & ciſternas, quæ in area ſub terra eſſent, ubi reponi ſolerent ſigna vetera, quæ ex eo Templo* (Capitolium intelligit) *collapſa eſſent. & alia quædam relligioſiora è donariis conſecratis.* & hæc quidem è ſententiâ clariſſimi Viri Q. Luctatii Catuli. illius (inquam) Catuli, qui Templum Capitolinum de-

1 Cap. 12.

* Sic videlicet gentiliſmus dixit & novit *diluere peccata*, ut ſciebat Rycquius. Sed tu lege *piacula ſua diluerent*: contrarii ſcilicet iis, qui apud ſuperos, furto lætati inani, diſtulerant in ſeram commiſſa piacula Mortem in VI AEneid. 569.

2 Apud Agell. lib. 2, c. 10.

dedicavit. [1] ſubjungit tamen idem Varro ſententiam aliam Q. Valerii Sorani, quam etiam non pigebit abſcribere: *Sed Q. Valerius Soranus ſolitus eſt dicere quos Theſauros Græco nomine appellaremus, priſcos Latinos Flaviſſas dixiſſe.* quod in *eos non rude æs, argentumque, ſed ſlata ſignataque pecunia conderetur.* Ii ergo Theſauri foramina quædam erant pecuniæ recondendæ, quale ad latus erat Templi Apollinis in Delphis, Græcis ὀμφαλὸν dictum. de quo eruditè idem M. Varro, Togatorum doctiſſimus, VI. de L. L. & eruditiſſimè Joſephus Scaliger, Notis in eum locum. quem vide. nos ad aquam (antequam ea nobis defluat) revertamur. Aquæ MARCIAE in Capitolium ductæ, innumerabili ſumptu, per millia paſſuum XXXIII. meminit Sext. Julius Frontinus nitidiſſimo libello Commentario de Aquæ ductibus. non ſine aliquâ tamen Decemvirorum obnunciatione, qui, dum aliis ex cauſſis libros Sibyllinos inſpicerent, inveniſſe dicebantur: *non eſſe aquam Marciam, ſed Anienem in Capitolium perducendam*; deque eâ re in Senatu fuiſſe actum Appio Claudio & Q. Cæcilio Coſſ. atque iterùm tertio poſt anno C. Lælio, Q. Servilio Coſſ. *ſed utroque*

1 Agell. ibid. & Non in *Flaviſſæ*.

que tempore viciſſe gratiam Q. Marcii Regis, atque ita eſſe in Capitolium Marciam perductam.

De illius hominis generoſitate egregiè Plinius libr. XXXVI. cap. XV: *Sed dicantur vera æſtimatione invicta Miracula quæ Q. Marcius Rex fecit, is juſſus à Senatu aquarum* APPIAE, ANIENIS, TEPULAE *ductus reficere, novam à nomine ſuo appellatam cuniculis per montem actis, intra Præturæ ſuæ Tempus adduxit.* De Aquæ verò Marciæ præſtantiâ, ejuſque in Urbem tranſcurſu, pulcerrimè idem auctor lib. XXXI. cap. III: *Clariſſima aquarum omnium in toto Orbe frigoris ſalubritatiſque palmâ, præconio Urbis,* MARCIA *eſt, inter reliqua* DEUM. MUNERE. URBI. TRIBUTA. *Vocabatur hæc quondam* 1 *Auſeja: fons autem ipſe Piconia. oritur in ultimis montibus Pelignorum. tranſit Marſos, & Fucinum Lacum, Romam non dubiè petens. mox ſpecu merſa in Tiburtinâ ſe aperit, novem millibus paſſuum fornicibus ſtructis, perducta.* Hinc non obſcurum erit quid Statiani verſus ſibi velint lib. I. Silvarum:

Teque per obliquum penitus quæ laberis amnem

Mar-

1 Alii, *Aufria* ſed malè.

Marcia, & audaci transcurris flumina plumbo.

Marciæ Aquæ ductum, variis subinde casibus impeditum interruptumque, diversi Principes magno studio, maximisque impendiis, acquisitis etiam novis fontibus, veteribusque purgatis, in Sacram Urbem suam reduxerunt; ut Veterum Inscriptionum præclara in ipsâ Urbe adhuc testantur monimenta: quorum exempla in Schediis nostris concepta huic Commentario adscriberem, nisi fastidium jam moverent omnium oculis & lectioni cottidiè expositæ, & à nemine Antiquariorum hactenus non scriptæ. Illò revertor, ut hinc quoque magnam Capitolinæ AEdi æstimationem accessisse Lector discat, cujus usibus nobilissima totius Urbis & Orbis aqua, tantâ deliberatione præhábita, tot milliarium itinere, tanto congesto sumptu, procurantibus Sacerdotum Collegiis, consulto Senatu fuerit attributa. Sed nè ea sola in Capitolio esset, quasi minus fortè Sacrificulorum usibus sufficiens; aut ut pretium comparatione augeretur, TEPULA adjuncta est, minoris, sed non ignoti etiam nominis humor. [1] concipiebatur is *Via Latina ad* XI. *Milliarium, diverticulò euntibus ab*

1 Fronti. ibid.

ab Roma dextrorsus millium passuum II. *inde rivo suo in Urbem perducebatur.* Fons ejus in agro Luculliano, sive (ut quibusdam placet) Tusculano: Unde M. Plautio Hypsæc, [1] & Fulvio Flacco Coss. Censores Romam, & in Capitolium, adducendum curaverunt. Incidit autem is Consulatus (secundum Fastos Capitolinos) anno P. R. C. DCXXVIII. quo anno Censores fuisse produntur tàm à Frontino nostro, quàm Annalibus Pighianis, *Cn. Servilius. Cn. F. Cn. N. Cæpio. L. Caßius Q. F. L. N. Longinus*, clari & illustres viri: neque minùs Reip. Legibus stabiliendæ, quàm Urbi, operibus atque ædificiis exornandæ, utiles. De Fistulis Aquarum Capitolinarum seditione Apulejanâ intercisis, præter Plutarchum in Mario, Appianum lib. I. & Florum lib. III. M. etiam Tullius agit, pro C. Rabirio perduellionis reo, sed verbis mutilatis: *Et si C. Marius fistulas, quibus aqua suppeditabatur* JOVIS. OPT. MAX. *Templo & sedibus, præcidi imperarat; quod in clivo Capitolino improborum civium* * * * * * Ex quo tamen fragmento illud discimus non ad alia Sacri montis loca, sed ipsum Templum Jovis eam aquam fuisse derivatam. Usum autem

1 Aliàs, *Hypsæpone.*

autem illius nunc prælibavimus, videlicet ad officia Sacrorum, & Sacrificantium lustrationem. de quâ veterum Romanorum consuetudine Plautus passim in Rudente sua, Virgilius Bucolici carminis Eclogâ III. *

Effer aquam, & molli cinge hac altaria vitta.

& AEneidos XI. in Superstitione Ducis Trojani:

Me bello è tanto digressum & cæde recenti
Attrectare nefas; donec me flumine vivo
Abluero.

Macrobius etiam III. Saturn. c. I. *Constat DIS Superis sacra facturum corporis ablutione purgari, cùm verò Inferis litandum est satis actum videtur si aspersio sola contingit.* Inde 1 *Aquiminarium* sive *Amula* vas lustrale Latinorum, id est, deportandæ aquæ relligionis expiationisque ergo deputatum. Similem verò inter sacrificandum Græcis & Etruscis consuetudinem fuisse ostendit ex Etruscis Tabulis, & libro Iliados nono V. C. mihique conjunctissimus Adrianus Scrieckius Rodornius, *originum Rerumque Celticarum*

* Est in Ecloga VIII. ut sequens locus in AEneide secunda, non undecima.

1 Paull. Diacon è Festo.

carum libro I. Sed annon ab Hebræis, veris Dei cultoribus, iſta cærimonia deſumpta? Joſephus clarè id oſtendere videtur Antiquitatum ejus gentis lib. [1] III. Ἐντὸς δὲ τῶν πυλῶν περιρραντήριον ἦν χαλκαῖον, ὁμοίαν αὐτῷ καὶ τὴν κρηπῖδα παρεχόμενον, ἐξ οὗ τοῖς ἱερεῦσι τὰς χεῖρας ἀποπλύνειν, καὶ τῶν ποδῶν καταχεῖν παρῆν. Nimirùm ut ſiquid agendo vel meditando impietatis concepiſſent, externâ iſtâ ablutione corporum purgatum expiatumque videretur.

1 Cap. 5. & paſſim SS. Litteræ.

CA-

CAPUT XXXIIX.

De origine Horologiorum *apud Romanos*, & Solario *primo. quidam in Capitolio id ſtatutum volunt, alii aliis in locis. Turnebi in M. Tullio & Varrone lectiones probatæ. Locus Plauti examinatus. Horologia etiam in Foro, Templis, Baſilicis, & ad Roſtra. ibi conciones frequenter habitæ, & judicia minora exercita.*

Neque omittendum in Capitolio videtur Solarium, ſive, *τὸ σκιαθηρικὸν ὡρολογεῖον*, quo ornatum eum locum fuiſſe Cenſorinus oſtendit libro de die Natali, ad Cærellium, his verbis: *Solarium alii apud ædem Quirini primùm ſtatutum dicunt, alii in Capitolio, nonnulli in æde Dianæ, in Aventino.* Significat (meo judicio) in tribus iſtis editioribus Urbis locis ſingula Solaria fuiſſe poſita, intervallis Horarum oſtendendis,

unum

unum in colle Quirinali, alterum in Arce Tarpejâ, tertium apud Dianam Aventinam. De origine Horologiorum apud Romanos varia & anceps Auctorum est sententia. Trecentis enim fermè annis Horarum ipsarum nomen Romæ ignoratum est, SOLE tantùm ORTO & OCCASO in XII. Tabulis, & forensi omni actione, nuncupatis. *Post aliquot annos* (teste C. Plinio [1]) *adjectus est & Meridies, Accenso Cos. id pronunciante, cùm à Curia, inter Rostra & Græcostasin, prospexisset talem Solem.* quo in loco Turnebi, ingeniosissimi Critici, & vv. cc. accuratam lectionem expressi. ubi vulgati *Curionis* nescio cujus peregrinum & intempestivum nomen subdiderant; quem in Morboniam aut νεφελοκοκκυγίαν Aristophanæam libens ablego. Fabius quidam Vestalis apud Plinium (cujus testimonio aliquoties utitur, nomine tamen in Indicibus haud expresso) L. Papyrium Cursorem primùm Horologium Solare Romanis statuisse prodidit, *ad ædem Quirini, cùm eamdem dedicaret à patre suo votam ante duodecim annos, quàm cum Pyrrho bellatum est.* M. Varro, apud eumdem, *primùm statutum in publico, se-*

1 Lib. 7. c. 60. *

* Et tamen aliter citat hunc locum in cap. XLV.

ſecundum Roſtra*, in columnâ tradit, bello* Pu*nico primò, à M. Valerio Meſſalla* Coſ. deportatum è Catanâ, Siciliâ devictâ, anno Urbis CCCCLXXVII. [1] Illud autem Sicilienſe, cùm ad peregrinum clima deſcriptum horis Romæ deſignandis minus conveniret; Q. Marcius Philipus Cenſ. aliud juxtà conſtituit, diligentiùs ordinatum; *idque munus* (adſeverante Plinio) *inter Cenſoria opera gratiſſimè acceptum eſt*. Incidit autem Cenſura Q. MarcI Philippi (ſi marmora Capitolina ſequimur) anno P. R. C. DXXCIX. Collegâ L. AEmilio L. F. M. N. Paullo. Sed & Paraſitus alicubi Plautinus [2] ut novitii inventi meminit, de Solario conſtituto, ſic enim ait:

Ut illum DI *perdant primus qui horas reperit,*
Quique adeò primus hîc ſtatuit Solarium:
Qui mihi comminuit miſero articulatim diem,
Me puero Uterus hic erat Solarium.

Quod ſi ad Comicum ipſum trahimus, de Valeriano capere vix poſſumus, cùm à Trium-

1 Cenſorin. ibid.

2 Ex Bœotia fabula, quam Varro & Agellius Plauto tribuunt Noct. Att. lib. 3. c. 3.

Triumpho Siculo ValerI Messallæ (qui in annum V.C. CDXC. ad obitum Poëtæ, qui in P. Claudii Pulchri, & L. Porcii LicinI consulatum incidit) LXXIX. anni, Capitolino calculo, effluxerint; multò minùs de Papyriano, quod medio ferè sæculo antè; aut Marcii Regis, quod vigesimo post mortem Plautinam anno demùm fabrefactum est. Quod itaque Solarium Plautus notatum velit, incertum est, nisi Comicâ quadam ὑπερπατελία Solarium illud in arce sui cerebri potiùs effinxerit. Erant & in Basilicarum ornamentis οἱ ἡλιακοὶ γνώμονες, ut testatur fidelissimus rerum antiquarum testis M. Varro V. de L. L. *Solarium* (inquit) *dictum id, in quo Horæ in sole inspiciebantur: quod Cornelius in Basilica AEmilia & Fulvia inumbravit.* [1] sic enim legere ibi malo cum elegantissimo Adriano Turnebo; quàm, quod in Vertranianâ editione legebatur: *Meridiem, ab eo quod medius dies. D. antiqui non R. in hoc loco dicebant. ut Præneste incisum in Solario vidi, quod Cornelius in Basilica AEmilia & Fulvia inumbravit.* quæ tamen verba sic emendari possent, si legeremus; *ut Præneste incisum in Solario vidi, & in eo, q. C. in B. AE. & F. i.* quod an doctissimo Scaligero etiam animadversum

1 7. Adversar. c. 22.

versum sit, nescio: liber enim ab illo recensitus jam non erat ad manum. Cæterùm non ἀπροσδιόνυσον erit instituto de Horologiis sermoni admetiri, ad Solarium secundum Rostra, in foro, conciones persæpe habitas, & judicia minorum rerum pronunciata. Unde M. Tullius oratione pro Quinctio, de multitudine eò conveniente: *Vixit enim semper incultè atque horridè: natura tristi ac recondita fuit: non ad Solarium, non in Campo, non in conviviis versatus est.* & de juvenibus ibi declamantibus, lib. IV. ad Herennium, verbis acidissimis pædagogi: *Ita petulans es, atque acer, ut ne ad Solarium quidem idoneus, ut mihi videtur; sed pœnes Scænam, & in ejusmodi locis exercitus.* & Plautus eò fortè ducendus lepidissimâ Curculione, Scænâ Ædepol:

In foro infimo boni homines atque dites ambulant:
In medio, propter canalem, ibi ostentatores meri:
Confidentes, garrulique, & malevoli, supra lacum.

Ut taxet eos, qui alienæ caussæ ventilandæ juvenilium declamatiuncularum pigmenta, ληκύθους, & colores adhiberent. quod dispicere eruditiores volo.

CAPUT XXXIX.

DI Consentes *apud Ennium: Juppiter* Feretrius, *ejusque origo. Juppiter* Fidei-sponsor, *& Interpretum* Dionys*I error. Ædes duæ aliæ Jovis. Ædes Jovis* Tonantis *ab Augusto, Jovis* Custodis, *à Domitiano, earumque ornamenta. Templum Martis* Bisultoris, *ejusque ab* Ultore *discrimen.*

Planè enim ut XI. Deos Consentes Jovi adsignavit Antiquitas, diversi sexus, quasi immortalitati ejus consentientes, & majestatis supremæ assessores; quos singulari disticho Ennius complexus est.

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, JovI, Neptunus, Vulcanus, Apollo;

ita in terrestri Jovis (ut [1] ita dicam) cœlo varia Templa, variæque Ædes, primario isto

1 Vide inf. cap. 47.

isto Delubro ornando, atque coronando, diverso tempore constructæ sunt: & non unâ ex caussâ subinde consecratæ. Antiquissimum ibi reperio (imo 1 quod primum omnium Templorum Romæ sacratum est) Templum JOVIS FERETRI (quem Græci 2 ΤΡΟΠΑΙΟΥΧΟΝ, & ΤΡΟΠΑΙΟΦΟΡΟΝ, alii ΣΚΥΛΟΦΟΡΟΝ, aut ΥΠΕΡΦΕΡΕΤΗΝ à *Feretro*, aut *Ferculo Tropæorum ferendo* nominant; nonnulli Latinorum 3 à *Feriendo* incertâ nuncupant ἐτυμολογίᾳ.) Voverat id Templum fundator Æternæ Urbis Romulus victo cæsoque Acrone Rege Cæninensium, cum *Spolia* inde *Opima* ferens, ad quercum pastoribus sacram deposuisset. 4 Voti formulam exprimit Livius sub initium vasti sui operis: JUPPITER. FERETRI. HAEC. TIBI. VICTOR. ROMULUS. REX. REGIA. ARMA. FERO. TEMPLUMQ. IIS. REGIONIBUS. QUAS. MODO. ANIMO. METATUS. SUM. DEDICO. SEDEM. OPIMIS. SPOLIIS. QUAE. REGIB. DUCIBUSQ. HOSTIUM. CAESIS. ME. AUTHOREM. SEQUENTES. POSTERI. FERENT. *Itaque*, propter nimiam Antiquitatem, *huic Ædi lex nulla exstabat* (auctore Festo) ne-

1 Liv. l. 1. 2 Dionys. l. 2. 3 Ut Proper. lib. 4.
4 Plut. Romulo. Liv. ibidem. Flor. lib. 1. Dionys. & Prop. ibid. alii.

neque Templum nec ne haberetur sciri commode poterat. [1] Angustiore primum formâ conditum Ancus Marcius Rex amplificavit: mox vetustate ferè conlapsum, suasu T. PomponI Attici Equitis Rom. D. Augustus restituit. ut præter Livium lib. IV. & Cornelium Nepotem, in Attici vitâ, ipsemet de se Augustus testatur, in lapide Ancyrano. Fuit (nisi me fallit conjectura) in Aquilonari montis parte, [2] ex adverso Arcis atque Ædis ipsius Capitolinæ. Tempore Dionysii quemadmodum Templum sic & vestigium ejus antiquum à Romulo, aut potius Rege Marcio, exstabat, [3] *habens latera quà latissima erant decem pedum magnitudinis, quà contractiora pedum quinque.* Ex Cornelio certè Nepote apparet non magnæ rei sive Templum sive Ædem hujus Numinis fuisse, hoc est, potius religione ac vetustate, quàm ornatu aut magnificentiâ fuisse venerabile.

Ædem JOVIS FIDEI-SPONSORIS in Capitolio etiam conditam fuisse, censuit vir (si quisquam mortalium) rerum Antiquarum peritissimus Fulvius Ursinus Romanus. in eo namque Commentario, quem Rerum Urba-

1 Liv. lib. I. 2 Ubi hodie ædes Virginis in ara cæli. 3 Dionys. lib. 2.

banarum inſcripſit, & cum cæterâ Librorum ſuorum ſupellectili moriens Bibliothecæ Vaticanæ legavit, Vetus quoddam Kalendarium deſcriptum eſt, in quo ad Nonas Junias ſic manu ipſius adnotatum reperi.

DEDICATIO. SANCI. FIDI. SEMIPATRI. IN. COLLE
QUIRINALI. ET. JOVIS. FIDEI-SPONSORIS. IN
COLLE. CAPITOLINO.

& adjungit verba Dionyſii è lib. IX. ſic à ſe interpretata: *In urbe autem Templum* FIDEI-SPONSORIS JOVIS. SP. *Poſtumius Coſſ. alter in Capitolino colle dicavit.* quæ à vulgatis non parum diſcrepant. Alii in Luco Bellonæ hoc Templum ponunt, alii in colle Quirinali, & pro *Fidei-Sponſore*, *Fidium*, reddunt, Dionyſium ſic depravantes. cum Ædes I. SPONSORIS inter Capitolinas, Regione VIII. à P. Victore numeretur; ſitu à Quirinali & Templo Bellonæ longè diverſo, quod ſi animum advertiſſent Gelenius & Portus recentiores Interpretes, Lapum jam olim in Dionyſio, FIDEI-SPONSOREM edidiſſe, adcuratè & fideliter, obſervare potuiſſent. Inchoatum hoc Templum ab ultimo Romanorum Regum Tarquinio fuerat, non tamen ab illo (ex more P. R.) conſecra-

tum; itaque pari fortunâ, quàm Capitolini Jovis à Sp. Postumio Albo Regillensi Cos. anno P. R. C. CCXXCVII. ex S. C^{to}. dedicatum est; eâ ipsâ die, quam in Vetere P. R. Kalendario annotatam prædiximus.

Erant præterea Ædes duæ, incerti positus, JOVI dicatæ in Capitolio. de queis Livius lib. XXXV: *Ædes duæ Jovi in Capitolio dedicatæ sunt. Voverat L. Furius* * *Purpureo, Præt. Gallico bello unam: alteram Cos. Dedicavit Q. Marcius Ralla Duûmvir.* contigit ea dedicatio circa annum C. V. IↃLXI. quantum è Livio & Fastis conjicimus. Unde miror Onuphrium Antiquarium magnum nihil de his ædibus ad [1] Victorem suum adnotâsse.

Ædes JOVIS TONANTIS auctore atque opere inter Capitolinas ferè nobilissima (cujus Ædis suprà mentio facta est, [2] ubi de Porticibus & clivo Capitolino egimus, quo in loco, secundum P. Victorem, abs D. Augusto

* Ita retinere placuit, ut vere is fuit nominatus. Et Rycquius sic in contextu ediderat. Sed quum ederetur quoque *Purpuræ*, in indiculo erratorum id corrigens scripserat *lege L. F. Purpureo*: id totum accepit secunda editio, quum debuisset modo postremam partem.

1 Comment. de Rep. Rom. 1.

2 Cap. 34.

gusto constructa est.) dedicata legitur anno V. C. ɪↄc. xxxi. * [1] Fannii Cæpionis & Murenæ Varronis conjuratione in Augustum detectâ. Structuræ caussam diligens auctor Suetonius suggerit lib. (ut recentioribus Criticis placet) secundo, in quo sic ait: [2] *Tonanti Jovi ædem consecravit liberatus periculo, cùm in expeditione Cantabricâ, per nocturnum iter, lecticam ejus fulgur perstrinxisset, servumque prælucentem exanimâsset.* Dio Cassius ipso consecrationis sacro multa tonitrua exaudita scribit, quasi Augustale opus Tonans & Fulgens Juppiter sanciret. Fastigium habuit *tintinnabulis redimitum*, cujus rei rationem idem scriptor, cum Suetonio, reddidit, ex querelâ Capitolini Jovis somnianti Aug. facta. Nam cùm Augustus ipse dedicatam à se Jovis TONANTIS ædem assiduè frequentaret, visus est in somnis Capitolinum audire conquerentem, *cultores à se abduci*; cui responsum dedit: *Tonantem pro janitore ei appositum.* Unde mane facto Tintinnabula Tonanti appendi jussit, quod

* Necessario debuit ɪↄccxxxi, accedente centenario, ut septimum sæculum agatur, in quod incurrit Augustus.

1 *Dio* lib. 54. Fasti Sigon. Lapis Ancyran.

2 Aug. cap. 29.

ea fere è januis dependerent. Parietes in Æde Tonantis *solidis glebis marmoreis* 1 agnoscit Plinius, cum necdum secare marmora didicisset Italia. Signa etiam præstantissima duo: Jovem Tonantem, opus 2 Locræ, *ante cuncta laudabilem* ex ære Deliaco: & Dioscuros fratres item æreos, 3 Hegiæ elaboratos, ante ædem positos.

Superant etiamnum ex illa Æde (ut suprà diximus) in clivo Capitolino tres speciosissimæ columnæ, striati operis, ad forum descendentibus visendæ, sed incuriâ temporum atque injuriâ in terram nunc pœnè defossæ: in quarum Zophoro Albogalerus, sive, Apex Flaminis Dialis, secespita, malleus, securis, aquiminarium, sive, cantharus, capedunculus, aliaque Sacrorum instrumenta adhuc spectantur, summa elegantia & exquisitissimo artificio expressa. Cujus Zophori imaginem effectissimè elaboratam, quia amicus noster Philippus Rubenius, in Electis 4 suis nuper publicavit, cò Lectorem meum volens remittam, ut defatigatos nugarum nostrarum lectione oculos amœnissima pictura reficiat. Heic autem ejus

1 Lib. 36. cap. 6. & 34. cap. 8. & 11.
2 Al. Leocræ. 3 Al. *Hygiæ*.
4 Lib. 2. cap. 25.

ejus vice Templum JOVIS TONANTIS integrum & redivivum, ex Numaria D. Augusti officina, spectandum exhibebo:



Templum MARTIS ULTORIS, sive (ut [1] Augustus ipse maluit) BISULTORIS, ad Augustum etiam auctorem referendum est. in quo, ad exemplum Jovis Feretrii, signa P. R. de Parthis recepta, & spolia Militaria [2] Parthorum adfixa, currus etiam Triumphalis D. Augusti repositus. Cujus victoriæ & Templi mentio in Ovidianis [3] Fastis:

1 Dio lib. 54. Ovidius.
2 Dio ibidem, & vett. Numi.
3 Lib. 5.

Parthe refers AQUILAS, *victos quoque porrigis arcus:*
Pignora jam nostri nulla pudoris habes.
Ritè Deo Templumque datum, nomenque BISULTOR:
Emeritus voti debita solvit honor.

Rotundæ Figuræ fuisse vetera numismata ejus Principis ostendunt, in quîs & Legionum Crassianarum insignia reposita, & Currus ille, quem diximus, ad memoriam expressus. Unde Capitolinum id Templum esse conjicimus; non alterum illud MARTIS ULTORIS, [1] sumptuosissimo opere summoque artificio, ad Forum Cæsaris, ab Augusto ædificatum. fortè, ut voluntatem in eo, patris sui D. JulI impleret. [2] qui *Templum* ejus Numinis *statuerat facere, quantum usquam* terrarum *esset*. Numorum figura talis est: Solus autem diligentissimus Ovidius utriusque Templi distinctim meminit, nam Dio & Suetonius, nescio quâ ratione, alterutrum sub silentio transmittunt. Adeò non semper Laus Historicæ diligentiæ Poëtas quoque fugit. Istorum error mul-

1 Sueton. Aug. cap. 29. Ovid. Tristib. Plin. lib. 33. alii. 2 Sueton. Cæs. cap. 44.


MARTIS
VLTORIS


S.P.Q.R.

multos dehinc in errorem etiam traxit, qui de Diis, & feſtis eorum diebus Syllabos contexuerunt: quos mei otii aut judicii jam non eſt refellere. ἡμεῖς γὰρ οὐ μυῖαι τοῖς ἕλκεσιν ἐφιζάνουσαι, μέλισσαι δὲ κατὰ τῶν Μουσῶν λειμῶνος τὸ κάλλιστον ἀπανθίζουσαι. quod ille [1] ait. Poſſis ad diſcrimen (exemplo, ut opinor, ipſius Auguſti) Capitolinam ædem BISULTORIS, aliam, quæ in Foro, MARTIS ULTORIS nominare. BIS-ULTOR autem dictus vel, ex Ovidianâ opinione, quia arma Parthica, una cum ſignis Craſſianis recuperatis accepit: vel quia ejus numine præſidioque Parthos ſuperavit Auguſtus, & parricidas debellavit.

JOVEM CUSTODEM in Arce Tarpejâ periculum Domitiani Cæſ. conſecravit, de quo ſic Tacitus III. Hiſtor: *Domitianus primâ irruptione* (Vitellianorum, in Capitolium) *apud Æditum occultatus, ſollertiâ liberti, lineo amictu, turbæ ſacricolarum immixtus, ignaruſque apud Cornelium Primum, juxta Velabrum, delituit. At potiente rerum patre, dijecto æditui contubernio, modicum Sacellum* JOVI CONSERVATORI *Aramque poſuit:* CASUSQUE *ſuos* IN MARMORE EXPRESSIT. *mox Imperium adeptus* JOVI CUSTODI *Templum*

1 Euſtathius.

plum ingens, ſeque in ſinu Dei *ſacravit.* Et Suetonius [1] opera publica recenſens à Domitiano facta: *Novam* (inquit) *excitavit ædem, in Capitolio,* CUSTODI JOVI. [2] Ampliſſimum opus fuiſſe, etſi Suetonius non adnotâſſet, facile perſuaderet Domitiani illa in ædificando magnificentia, quam Statius in Silvis, Martialis in Epigrammatiis, Plutarchus in vitâ Poplicolæ, atque alii, mirabiliter extollunt. Hujus enim teſtimonio Epicharmium illud facile ei conveniebat:

> Οὐ φιλάνθρωπος τύγ' ἐσσί· ἔχεις νόσον·
> Χαίρεις διδούς.

quod [3] Lipſius vertebat:

> *Non liberalis, aut benignus tu cluis:*
> *Profuſione gaudes.*

Meminit hujuſce Jovis Vetus Inſcriptio Tudertina: IOVI. OPT. MAX. CUSTODI. CONSERVATORI. Sed & HERCULEM. MAGNUM. CUSTODEM. L. Sulla Dictator, [4] ad Circum Flaminium, jam olim dedicârat: cujus alii meminêre.

1 Domitian. cap. 5. Erizzo pag. 148.
2 Ibidem. 3 In Adm.
4 P. Victor & Sext. Ruf.

CAPUT XL.

De Asylo Romuli, & Lucis, *sive* Intermontio duorum quercetorum. *Asylorum jus unde natum*, & Luceres *unde dicti. Ædes* Væjovis, & *simulacrum cupressinum. quale Numinis hujus nomen.* Juppiter ἄξυρος, puer, nondum barbatus. *In occasione de* Templo & Ærario Saturni *novè quædam adserta.*

Inter arcem P. R. & Capitolium, Duo Luci quernei erant, inter quos Asylum à Romulo Quirino olim legendæ multitudini apertum. locum hunc *Intermontium duorum Quercetorum* vocat P. Victor: unde suspicemur declivitatis nonnihil habuisse. De iis Lucis Virgilius lib. VIII. Æneid.

Hunc Lucum ingentem quem Romulus acer Asylum
Rettulit.

& Ovi-

& Ovidius in Faſtis:

Romulus ut ſaxo Lucum circumdedit alto,
Quilibet huc (inquit) confuge, tutus eris.

Aſconius in II. Verrin. *Luceres à Lucomone ſive à Lucretino, ſive à Luco, quem Lucum Aſylum vocaverat Romulus.* præter hos Livius lib. I. Dionyſius lib. II. Plutarchus in Romulo, & Simylus apud eum Poëta, Strabo lib. V. Vellejus lib. I. Eutropius lib. I. Prudentius adverſus Symmachum, Servius Virgilii Commentator, aliique innumeri [1]. Aſyli autem jus Græcorum exemplo Romulum inſtituiſſe planè credibile eſt, primi enim Herculis Nepotes Aſylum aperuiſſe putantur: & ei genti inventionem hanc * attribuit Livius lib. XXXV. ſub finem, cùm ait: *Templum eſt Apollinis Delium imminens mari, quinque millia paſſuum à Tanagro abeſt, [2] minus quattuor millium. inde in proxima Eubœa eſt mari trajectus. Ubi & in Fano Lucoque ea relligio, & eo jure ſancto, quo ſunt Templa, quæ* Aſyla *Græci appellant.* cui

1 Serv. in 8. Æneid. Stat. Papin.

* De ea nihil in iſto loco Livius: tantum fuiſſe apud Græcos, tantum ſic appellata ab eis fuiſſe.

2 Mendoſus videtur locus. ‡

‡ Nempe ſi ita diſtinguatur.

cui Tacitus in Annalibus 1 concinere videtur, qui de jure Aſylorum præcipuas Græciæ civitates coram Tiberio contendiſſe ſcribit. *Factaque* ſub eo *S. C*ta. *quîs multo cum honore modus præſcriberetur*, ad compeſcendam ſcilicet licentiam, quæ paſſim Græcas per urbes crebeſcebat, Aſyla ubique ſtatuendi. id enim credere malim cum CL. 2 Lipſio, quàm, quod Suetonius Dioque prodidêre, *Jus moremque Aſylorum, quæ uſquàm erant, Tiberium aboleviſſe.* Apertum autem Aſylum fuerat à Romulo, impunitaſque omnibus data eo conſilio, ut Urbem novo advenientium præſidio firmaret. 3 ſub ipſa enim initia Romana urbs vix centum habitacula (Plutarcho teſte) continebat: parvum nimis munimentum injuriæ exterorum, aut vicinorum, defendendæ, noviſque mœnibus propugnandis. Illud quoque memorabile à Dione Caſſio 4 obſervatum eſt, lucum iſtum Romuli ἄσυλον καὶ ἱερὸν, poſtquam ſufficere civitati multitudo (quæ convenerat) viſa eſt, nomen tantùm deinceps retinuiſſe, atque ita obſeptum fuiſſe, ut nemo amplius eò ingredi aut confugere, ſalutis cauſſâ, poſſet.

Ve-

1 Lib. 3. 2 In Comm. ibid.

3 Plutarch. Rom. Dionyſ. Liv. Strabo lib. 5. Vellejus lib. 1. Lucan. lib. 7. Juven. Sat. 8.

4 Lib. 47.

Verosimile ergo hinc ἔτυμον apparet *Lucerum* à Luco Capitolino : nam quotquot in eum locum vel ob civitatis communionem , vel Asyli impunitatem undique confluxerant, in unam Tribum conscripti, & *Tatiensibus*, *Ramnensibusque* (ut initio hujus operis docuimus) adjuncti sunt. Ante Asylum ergo istud Capitolii καὶ σεμνεῖον Templum Væjovis posteà constructum est , quasi ad Asyli ipsius religionem sanctitatemque protegendam. Unde Ovidius in III. Fastor.

Una nota est Martis Nonis , sacrata quod illis
Templa putant lucos Vœjovis ante duos.

& P. Victor, in Topographiâ Urbis, Regione IX: *AEdes Væjovis, inter Arcem & Capitolium , propè Asylum.* Simulacrum ejus Dei cupressinum erat , & sagittis obarmatum : circa annum Urbis conditæ DLI. (si probi sunt numeri [2] Pliniani) in AEde suâ positum. De nomine ipsius multa disputârunt Veteres recentesque φιλόλογοι , & ex istis præcipuè Agellius lib. V. Noct. Atticarum c. XII. Festus Pompejus in *Vesculi*, Martianus lib. II. de Nuptiis Philologiæ. ipse etiam

1 Liv. lib. I. Prædi. 3. Ver.
2 Lib 16. c. 40.

etiam Ovidius in Fastis. neque minor controversia de Natura ipsius Numinis, quod alii inter ἀλάστορας καὶ παλαμναίους, alii inter μειλιχίους καὶ σωτηρίους collocarunt. Ego (si meam fas est tantis viris interponere sententiam) nihil aliud designari arbitror quàm parvulum & imberbem Jovem, qualis erat Juppiter *Anxur*, sive ἄξυρος, in Campaniâ: imberbis, in Alti Eleæorum: & collacteus Junonis, in gremio Fortunæ Prænestinæ. Unde Vetus marmor inscriptum:

FORTUNAE
JOVIS. PUERI
PRIMIGENIAE
*

& Poëtæ illud Satyrici:

—— *sub Jove nondum*
Barbato.

[1] Sed & capellam ejus simulacro adstitisse Agellius scribit, quòd lacte Oleniæ capellæ in Cretâ insulâ Juppiter puer enutritus crederetur. Longè majores de Saturni AErario tricæ sunt, quod alii in Foro Romano, alii in Capitolio nostro ponunt. cum (si verba scriptorum rectè inspiciamus) imminens foro Romano in Vico Jugario,

1. Ibidem. Germanic. Cæs. in Arateis.

rio *, ad radices clivi Capitolini, fuerit: hoc eſt, in confinio utriuſque. Servius id indicare videtur lib. IIX. AEneid. ubi de Saturno: *Sibi* (inquit) *opidum fecit, ubi nunc ejus ædes videtur.* atqui in imo noſtro monte *Saturnia* opidum fuit: ut 1 alibi aſſeruimus. accedit auctoritas DionysI, de Sempronio Atratino & M. Minucio Coſſ: *Hü Coſſ. ferunt Templum dedicatum Saturno, in clivo Capitolino, quà de foro exſcenditur.* P. Victor in IIX. urbis regione: *AEdes Opis & Saturni in Vico Jugario.* addit Servius 2 alibi, *juxta Concordiæ Templum*: quòd in centum gradibus Capitolii ſtetiſſe, ſuprà probavimus. Hanc ædem AErarium feciſſe primùm Valerium Poplicolam Plutarchus putat in ejus vitâ. exemplo ſcilicet Athenienſium, qui 3 ἐν τῇ ἱερᾷ ἀκροπόλει ſanctius habebant ærarium repoſitum. De auctore ejus primo, neſcio quo fato omnis ſcriptorum vetuſtas penè digladiata eſt, nemine diverſum quid non afferente. Epéos enim Herculis comites, Solinus: Tullium Hoſtilium Regem, Macrobius: L. Tarqui-

* Is fuit ad portam Carmentalem, & plane non pertinuit ad ærarium Saturni.

1 Cap, 2. 2 In 2. AEneid.

3 Ulpian. in Orat. Demoſth. contra Timoc.

quinium, M. Varro: L. Furium Trib. Pleb. ex S. C. Cn. Gellius: nonnulli T. Lartium Dictatorem aut eos, quos nominavi, binos Coss. authores faciunt. quam sententiarum & opinionum discordiam nè ipsa quidem Concordia nobis tollat. *Tritones æreos in fastigio* hujus Templi *cum buccinis Macrobius* [1] laudat, & simulacrum ipsius Dei *eburneum* Plinius, [2] *intus oleo repletum*, quod cariem amoliretur. Orestis ossa ab Aricia Romam translata, & ante AErarium Saturni condita testatur Servius, ad Virgilianum illud: [3]

Sanguine placastis ventos, & virgine casâ.

Restitutum fuisse videtur à L. Munatio Planco V. C. hortatu Augusti, ut Suetonius in Augusto, & vetus hoc marmor adfirmat in vico Jugario nuper effossum:

L. PLANCUS. L. F. COS. IMP.
ITER. DE. MANIB.

Re-

1 1. Sat. c. 8.
2 Lib. 15. c. 7.
3 In. 2. AEneid. *

* De iisdem scribit Higinus fab. 261. *Orestis ossa de Aricia Romam translata sunt, & condita ante Templum Saturni, quod est ante clivum Capitolinum juxta Concordiæ Templum.* Qui locus facit etiam ad caput XLII.

Restitutum fuit de Manubiis Rhæticis: quod Titulus ejusdem Planci Triumphalis, in monte Cajetano, nobis declarat. Aliam AEdem ex oraculo Apollinis Pythii & S. C.to Q. Luctatius Catulus Capitolinus, cum Arâ tetragônâ, Saturno dedicavit: auctore Plutarcho in Parallelis, cujus situm planissimè ignoramus.

CAPUT XLI.

Ad Muliebreis *Relligiones transitum.* Junonem *imprimis* Monetam, *quæ* & Regina *nonnullis. hujus AEdes in Arce, & ratio nominis investigata: illam videri duplicem fuisse.* Arx Monetæ. *Sulpicia Poëtria castigata.* Μνημοσυνη, Memoria, Minerva Memor, Isis-Moneta. Meminerva. Moneta *pro officinâ Monetariâ.* Apollo Monetalis. *AEdes* Opis *à quo posita. Templa duo* Veneris Calvæ. *AEdes* Erycinæ, *quæ* & Venus Capitolina. Isis, Sarapis, Harpocrates *variè exclusi aut recepti.* Specus Mithræ. *in P. Victore conjectura.*

Ad Deos Fœminas in Capitolio perventum est, in queis primas sibi pa-

teis jure vindicat illa & conjunx & ſoror Jovis Opt. Max. Juno *Regina.* cujus relligioni locum peculiarem adtributum in Capitolio non offendimus, quamvis id ἀνιςορήτως quidam exiſtimaverint, votum, ut ipſi ajunt, à C. Flaminio Coſ. bello [1] quod adverſus Ligures geſtum eſt. nam ædes iſta JUNONIS REGINAE, quam collega Flaminii M. AEmilius octo antè annis bello Liguſtino voverat, XX. ∞. AEris ſibi abs Senatu decretis, unà cum alterâ Dianæ in Circo Flaminio ab eodem dedicata eſt. quod Livius Hiſtor. lib. XL. diligenter adnotavit. illud tamen memorabile Junonem illam Vejentem in Aventino, quam Livius, Ovidius, Macrobius, P. Victor, alii REGINAM appellant, MONETAM à Valerio vocari lib. I. c. XII. & Lactantio noſtro lib. II. qui *de origine erroris*, cap. IIX. Cujus rei rationem nuper ad Valerium inquiſivit vir doctrinæ clariſſimæ Stephanus Vinandus Pighius, nec aliud quicquam præter conjecturam invenit. Nimirum quia ad ſimilitudinem Capitolinæ Junonis, ſic dictæ, vocem emiſit, quaſi à monendis Camilli militibus MONETAM vocitatam. quæ viri clariſſimi conjectura quo in loco habenda ſit im-

1 Liv lib. 39.

impræſentiarum non diſputo, hoc tamen adſeverare poſſum, non Junonem tantum, Dearum ſupremam, ſed alias etiam Divinitates, quæ Monendo mortalibus prodeſſent, cognomentum illud obtinuiſſe. qualis imprimis μνημοσύνη ſive *Memoria* Dea, quam Gloſſæ veteres *Munetam* interpretantur, corruptè pro *Monetam*. quibus & Livius accedit Andronicus in fragmento iſto Odyſſeiæ:

Nam Diva Monetâs filiam docuit.

Ubi ſanè *Monetâs filia*, nihil eſt aliud, quàm Muſarum aliqua. *Monetâs* enim ἀρχαικῶς pro *Monetæ*. Plautus eodem ἀρχαισμῷ uſus, prologuio Pænoli:

Sed niſi moleſtum eſt nomen dare vobis volo
Comœdiâs.

Monetam autem iſtam, vel μνημοσύνην, cum Deâ Minervâ quidam videntur confudiſſe. hanc enim Paullus è Feſto Langobardus dictam putat [1] *quod bene moneat.* & Arnobius lib. III. *quaſi Meminervam.* de Memoriâ etiam puerorum Palladi ſeu Minervæ ſacrâ D. Aurel. Auguſtinus VII. de Civit. Dei, cap. III. unde & *Memoris* cognomentum videtur adepta, quod expreſſum in

1 Aliter Cicero & Cornificius apud Feſtum.

in Inſcriptione veteri, quam [1] ſide Petri VictorI deſcripſimus:

MINERVAE
MEMORI
CAELIA. JULIANA
INDULGENTIA
MEDICINARUM
EJUS. INFIRMITATE
GRAVI. LIBERATA
D. P.

Quamquam ibi MEMOR potiùs vocata, quod Cæliam illam incubantem ſalutaribus conſiliis per ſomnium curaviſſet, unde & MEDICAE [2] cognomento in Romanâ etiam Urbe culta, eademque ratione ISIN etiam MONETAM invenio, celeberrimo Romæ Templo, in III. [3] Urbis Regione, quod & nomen Regioni ipſi dedit. Iſin namque inter *ἰατρικὰ καὶ ἐπικούρεια* olim Numina fuiſſe ſicut Minervam, Apollinem, Æſculapium, Hygejam, Sarapim, è Tibulli voto diſcimus, pro ſalute ſuâ illam deprecantis:

[4] *Nunc, dea, nunc ſuccurre mihi, nam poſſe mederi*
Picta docet Templis multa Tabella tuis,

R Ut

1 In Caſtigat. poſterior. ad epiſt. Fam. Ciceron.
2 Quæ Græcis *Pæonia*.
3 P. Victor, Sext. Rufus. 4 Lib. 1. el. 3.

Ut mea votivas persolvens Delia curas,
Ante sacras lino tecta fores sedeat.

P. Victor in dictâ Urbis Regione notatum habet: ISIS. ET. SERAPIS. MONETA. corruptè (ut opinor) pro SERAPIS. ET. ISIS. MONETA. Nam etsi de Serapi, vel Sarapi, dubium non sit, quin ipse quoque pervigiliis 1 languentûm celebris, tamen vix putem *Monetæ* ἐπωνυμίαν aliis quàm fœmellis Numinibus tributam à veteribus. quod & nominis ipsa ratio sic videtur exigere. De JUNONE autem MONETA, quam diximus in Capitolio locutam, expressum testimonium est in divino illo M. TullI libro de Divinatione: 2 *Scriptum est* (inquit) *à multis, cùm terræmotus factus esset* UT. SUE. PLENA. PROCURATIO. FIERET. *vocem ab æde Junonis, ex arce, exstitisse, quocircà Junonem illam appellatam Monetam.* Ædificata fuit hæc, meo judicio, in fundamentis ædium T. TatI Regis, de quîs Solinus Polyhistore 3, & Plutarchus in Romulo. Alteram enim, quæ 4 in areâ domus M. ManlI ædificata est, ad centum Gradus, multis abhinc annis L. Furius Dictator Aurunco bello vovisse, & anno pòst

1 Cic. 2. Divinat. Suet. Vespasiano.
2 Lib. 1. 3 Cap. 2.
4 Ovid. 5. Fast. Liv. lib. 7.

pòſt dedicâſſe legitur. De priore illâ forſitan Macrobius lib. primo Saturnal. *Kalendis Juliis dedicatam eſſe.* nam hujus ſatis apparet ex Ovidianis Faſtis, & Kalendariis Antiquis, poſtridiè Kal. JunI dedicationem celebratam. Habebat hæc officinam Monetariam adjunctam, quæ à Templo & Numine vicino *Moneta* etiam vocata. ſic enim capiendum puto illud Ciceronis è Philippicâ VII: *Parvis de rebus ſed fortaſſe neceſſariis conſulimur* P. C. *De Appiâ viâ & de Monetâ Coſ. de Lupercis Trib. Pleb. refert.* illud quoque viri Sapientis è III. de Beneficiis: *Jam tempus eſt quædam ex noſtrâ (ut ita dicam) Monetâ proferri.* atque ita vocata eſt à I. C. L. I. §. VI. ad L. Juliam peculat. quod jam alii [1] monuerunt. Pingitur inde in Numis Triumvirorum A. A. A. F. F. Dea MONETA cum inſtrumentis pecuniæ formandæ, bilance, cornucopiâ, quos & ampliſſimus Vir Antonius Auguſtinus in Dialogis Numiſmaticis, atque alii elegantiorum litterarum ſtudioſi publicârunt. ego itaque lege Academicâ ἐπέχω.

Igitur quia duplex in Arce Monetæ Sacrarium, *Arx* etiam ipſa *Monetæ* vocata apud Sulpiciam, in Satyrâ ſingulari:

1 I. Savaro ad Sidon. Apollin.

—— *Nam quùm defendier armis*
Suadet amor patriæ, & captiva penatibus uxor;
Convenit, ut vespæ, quarum domus ARCE MONETAE
Turba rigens strictis per lutea corpora telis.

Sensus est, instar vesparum cives Romanos armatos convenire, cùm metu aliquo publico suadente delectus Militaris in Capitolio instituendus est; sicque è deliciarum temulentiâ vegetos alacresque emergere; contrà verò quùm securitas undique & pax affulgeret, in luxum & væcordiam plebem legionesque dissolvi. quare emenda in versibus sequentibus:

Ast ubi pax secura redit, oblita favorum
Plebs materque una somno moriuntur obeso:

Plebs milesque unà s. m. o. quo sensu rectè olim [1] Appius Claudius pronunciaverat: *Meliùs P. R. negotium committi quàm otium.* & in eo valde eloquentia Scipionis Nasicæ laboravit, nè Carthaginiensi civitate æmulâ atque inimicâ de medio sublatâ, deliciis ac mol-

1 Valer. lib. 7.

molliciei aditus ad Remp. aliquando præberetur. [1] Tertiam Junonis Monetæ ædem invenio votam à C. Cicereïo præt. in Corsicâ signis collatis pugnante, cujus situm invenire hactenus non potui, neque ullus (quòd sciam) Antiquariorum invenit. Habent & [2] APOLLINEM MONETALEM Numi veteres Commodiani, cujus cognomenti rationem inde putamus ortam, quia in Templo fortè aliquo Monetæ consecratus.

Succedit OPIS Ædes in Capitolio, quam alii Junonis parentem, alii [3] Junonem ipsam esse arbitrati sunt: atque ideò Junoni rectè subjungimus. De ista Kalendarium Vetus Romanum in ædibus Capranicorum:

D. IX. C.

E. VIII. OPIC. NP. OPI. IN. CAPITOLIO

F. VII. C.

& Livius lib. XXXIX: *Unum diem supplicatio fuit ex decreto Pontificum. quod ædes Opis in Capitolio de cœlo tacta erat, Hostiis majoribus Coss procurârunt.* I. etiam Obsequens notat, *M. Antonio P. Dolabellâ Coss. in æde Opis valvas* per prodigium *fractas*. Fuit inter [4] numina

1 Liv. lib. 42. 2 Goltz. in Thes. Antiquar.
3 Macrob. Sat. cap. 12. 4 Varro de L. L. Dionys. lib. 2. Augustinus. P. Victor. Reg. 8.

mina T. TatI relligione in Capitolio dedicata.

VENERI CALVAE ridiculo quidem cognomento, sed memorabili Matronarum facto, duplex etiam Templum ibi est dedicatum *Vetus* & *Novum*. de quo Lactantius breviter lib. I. c. XX: *Urbe à Gallis occupatâ obsessi in Capitolio Romani, cùm ex mulierum capillis tormenta fecissent, ædem* VENERI CALVAE *consecrârunt.* similiter I. Capitolinus in Maximino juniore, Vegetius de re militari lib. IV. cap. IX. & D. Cyprianus Martyr, libro de Idolorum vanitate, aliique nonnulli. Neque adeò mirum id cuiquam videri debet, cùm & Ctesibius, libro de Machinis, rationem hujusmodi funes (quos *Tόνȣς* vocat) è capillo muliebri conficiendi doceat, eorumque usum Vitruvius in Tormentis agnoscat lib. x. suæ Architecturæ. Neque exempla etiam in Historiis desunt: ut Salonensium matronarum, 1 apud Cæsarem, quæ crinem usui bellico præsecuerunt, & Carthaginiensium, apud Plutarchum 2, Aquileiensium quoque apud Jul. Capitolinum, in Maximo & Balbino, præter Romanas nostras, *quæ* (ut verbis

1 3. de bello civ.
2 Libello de Fœnore.

verbis Vegetianis [1] loquar) *maluerunt deformato ad tempus capite liberè vivere cum maritis, quàm hostibus integro decore servire.*

[2] VENERIS ERYCINAE, sive ERUCINAE, ab Eryce Siciliæ monte nominatæ recentior Ædis, quam multis posteà annis Q. Fabius Max. inspectis libris Sibullinis, in Dictaturâ suâ, vovit. cujus etiam Dedicandæ causâ Duûmvir à P. R. creatus est, teste Livio. [3] hujus verba sunt: *Intereà Duûmviri creati sunt Q. Fabius Max. & T. Octacilius Crassus ædibus dedicandis:* MENTI, *Octacilius; Fabius,* VENERI ERYCINAE. Nec mirum hos Dictatores simul creatos, cùm utraque in Capitolio Ædis esset, *canali tantùm uno discreta.* [4] Factum id à Fabio Votum circa annum V. C. DXXXVI. si rectè ex Fastis supputavi. Duo omninò Veneri huic Templa Romæ consecrata sunt: unum nominatissimum ad Portam Collinam, cujus non uno in loco Livius, Appianus, & Ovidius meminerunt; alterum æquè celebre in sacro nostro monte, quod per eminentiam (ut opinor) VENERIS CAPITOLINAE Sueton. appellavit in Cajo, C. VII. cùm, unum è Germanici liberis, insigni

1 Ibidem. 2 *Strabo* lib. 6. Polyb. lib. 1.
3 Lib. 23. 4 Liv. ibid.

ſigni feſtivitate puerum, *habitu Cupidinis* effformatum, ibique à Liviâ Auguſtâ dedicatum ſcribit. & in Galba, c. XVIII. cùm, inter monſtra & prodigia ei Principi oblata, ſic memorat: *Monile margaritis gemmiſque conſertum ad ornandam Fortunam ſuam Tuſculanam ex omni gazâ ſecreverat. id repentè quaſi auguſtiore dignius loco* CAPITOLINAE VENERI *dedicavit. ac proximâ nocte ſomniavit ſpeciem Fortunæ, querentis fraudatam ſe dono deſtinato.* Neſcio an ibi depoſitum quoque Signum Veneris nudum, è Sicilia allatum, de quo Prudentius noſter adverſus Symmachum:

Hac veteres induxit avos vel fama, vel error.

ut:

—— Veneris quoque nudum
Accirent Proceres Erycino è vertice ſignum,

quod ipſum (ὡς ἐγὼ μνήμης ἔχω) à nullo alio Scriptore hactenus vidi obſervatum.

Videntur & Barbaræ Relligiones aliæ, ut Ægyptia ISIS, cum omni ſuo comitatu, Capitolio fuiſſe receptæ: teſtimonio ejuſdem Prudentii in loco laudato:

Iſidis amiſſum ſemper plangentis Oſirim
Mimica, ridendaque ſuis ſolemnia calvis,

Et

Et quascunque solent Capitolia claudere larvas.

quod Tertullianus noster Romanis tamen objicit, quasi moribus atque institutis majorum contrarium, in Apologetico: SARAPIDEM, *&* ISIDEM, *&* HARPOCRATEM *cum suo Cynocephalo Capitolio prohibitos, id est, Curiâ Deorum pulsos Piso & Gabinius Coss. non utique Christiani, eversis etiam aris eorum, abdicaverunt: turpium & otiosarum superstitionum vitia cohibentes. his vos restitutis summam majestatem contulistis.* Arnobius etiam lib. II. Disputationum, quem nunc brevitatis studio omitto. Fuêre ii Coss. anno ab V C. DC.XCV. tempore M. TulliI Ciceronis, qui rei istius aliquid attingere videatur III. De Naturâ Deorum, his verbis: *Si* DI *sunt illi quos colimus & accepimus, cur non eodem in genere* SARAPIM ISIMQUE *numeremus? quod si facimus, cur Barbarorum Deos repudiemus?* Repudiata quidem antea fuerant eadem Numina L. Æmilio [1] Paullo & M. Livio Salinatore Coss. circa annum V. C. IↃXXXIV. quorum iste, cùm Senatus diruenda eorum fana censuisset, nec ullus opificum attingere illa auderet; positâ Prætextâ, securim arripuerat, Templique foribus primus inflixerat. Sed vitio

[1] Val. cap. 4. de peregrin. relligion.

tio generis humani vetita novitas semper revixit. Dio enim Cassius lib. XL. denuò S. C^to. cautum, tradit, *ut fana eorum, quæ privatim nonnulli exstruere incœperant, diruerentur: extra pomœrium tamen poni non prohiberentur.* [1] idem tamen in prodigiis anni DCCVII. *examen apum, in Capitolio, juxta Herculis statuam consedisse* scribit, *dum Isidi sacra fierent.* paucis pòst annis scilicet, quàm superiora edicta emanârant. D. tandem Augustus omninò impedire conatus est, lege latâ: [2] NE. CUI. INTRA. QUINGENTOS. AB. URBE. PASSUS. CELEBRARE. SACRA. AEGYPTIA. LICERET. Lex adeò posteros non tenuit, ut inter sanctissima Numina Isis, Serapis, Harpocrates, Anubis, Bubastis deinceps haberentur.

Persici MITHRAE specum fuisse etiam in Capitolio, præter Tabulas Marmoreas laceras cum effigie & inscriptione ejus Dei in cavernis ibi subterraneis repertas, mihique in Urbe tum agenti sæpiùs conspectas, D. Hieronymus adserere videtur, in epistolâ ad Lætam: *Propinquus vester Gracchus, nobilitatem Patriciam sonans nomine, cùm Præfecturam gereret Urbanam, nonne Specum Mithræ, & omnia portentuosa simulacra, quibus Corax, Niphus,*

1 Lib. 42. 2 Dio lib. 44.

Niphus, Miles, Leo, Perses, ΗΛΙΟΣ, *Bromius pater initiantur, subvertit, fregit, exußit?* Tangit hunc Ritum Firmicus de Err. Profanar. Relig. ubi de Sole: *Hunc Mithram dicunt: sacra verò ejus in speluncis abditis tradunt.* Ideò rectissimè Papinius 1 *Solem* appellat,

—— Persæi sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mithram.

quo in loco operæ pretium est Luctatium Placidium (sive quis alius est) veterem ejus Scholiasten videre, totiusque Persicæ θεολογίας, aut potius ματαιολογίας, arcana Mysteria percipere. Quod quia de Barbaris Religionibus agebamus, ita visum est ἐπιμετρεῖν.

1 1. Thebaid.

CAPUT XLII.

Virtutes *etiam in Capitolio cultæ* FIDES, MENS, CONCORDIA. *Duo hujus Templa ibi observata, unum in clivo, alterum in Arce.* Senatulum Aureum. *Statua* Concordiæ *Augusti: aliæque in Templorum ornamentis.* FIDES candida, alba, nivea, cana. *Servius & Robortellus notati.* Solemne sacrum. *Glossema è Livio sublatum. Plinii circa Deos ἐπικουρισμός.*

VIRTUTES quoque [1] *propter quas ascensus in cælum dari* creditus ut FIDES, MENS, CONCORDIA cælestium loco haberi cœptæ, atque ideò in Capitolio, [2] *ubi Deorum omnium colebantur simulacra*, etiam collocatæ.

Ad CONCORDIAM quod attinet, duo ejus in Capitolio Templa fuisse reperio. Unum in clivo,

1 Cic. de Legib. 2 P. Vict. Reg. 8.

clivo, Forum & Comitium respiciens, [1] ad ipsum Arcis ascensum. alterum in Arce Tarpeiâ, paucis Antiquariorum hactenus memoratum. Illud à Furio Camillo Dictatore votum, seditione populari, circa annum V. C. CCCXXCVII. de quâ Plutarchus in Camillo, Livius lib. VI. sub finem, Dionysius, Zonaras, & Ovidius in Fastis, ad Concordiam:

Candida te niveo posuit [2] lux proxima Templo,
Quà fert sublimes alta Moneta gradus.
Furius antiquam populi populator Etrusci
Voverat, & Voti solverat ille fidem.
Caussa quod à Patribus sumtis secesserat armis
Vulgus, & ipsa suas Roma timebat opes.

Igitur quia ad centum gradus, quibus in Arcem & Monetæ exscendebatur, Gradus ipsi (ut suprà [3] docuimus) *Concordiæ* vocati. Hujus Templi porticum, fastigio suo ornamentisque omnibus nudatam; spectari adhuc ferè omnes existimant, cum ista Inscriptione:

SENATUS. POPULUSQ. ROMANUS
INCENDIO. CONSUMPTUM
RESTITUIT

1 Plut. Camillo. 2 17. Kal. Februar.
3 Cap. 34.

Nec mirum fuisse restitutum, cùm unum è tribus Urbis Senatulis [1] esset, *aureum*, ut opinor, à Sexto Rufo appellatum, in quo Senatus haberi legitimè posset. Sallustius in Catilinario de Cicerone: *Cos. Lentulum, quòd Prætor erat, ipse manu tenens in Senatum perducit, reliquos cum custodibus in ædem Concordiæ venire jubet. eò Senatum convocat.* Lamprid. Alex. Severo: *Cùm Senatus frequens in Curiam; hoc est*, in Ædem *Concordiæ, Templum inauguratum, convenisset.* I. Capitolinus Maximo & Balbino: *Interemptis in Africa Gordiano Seniore, cum filio, Senatus pertrepidus in ædem Concordiæ* VII. *Kal. JunI concurrit.* Ubi non dubiè de ista loqui Capitolinum apparet. nam dicit, *inde Cæss. electos in Capitolium ascendisse ad sacra facienda.* Restituerat eam Ædem anteà, in memoriam Concordiæ inter ipsum * & Octaviam, Livia Augusta quam Tiberius ejus filius, Inscripto suo & Drusi nomine, dedicavit. Ut præter Dionem lib. L. & LVI. Suetonium TiberI cap. XIX. Ovidius etiam testatur I. Fastorum:

Caussa

[1] Festus in *Senatula tria.*
* Voluit ipsam.

Caussa recens melior : sparsos Germania crineis
Porrigit auspiciis, Dux venerande, tuis.
Inde triumphatæ libasti munera gentis,
Templaque fecisti, quam colis ipse, Deæ.
Hanc tua constituit genetrix & rebus, & ara,
Sola toro magni digna reperta Jovis.

Heic etiam fortassè signum novum Concordiæ abs D. Augusto constitutum, ex strena sibi ab S. P. Q. R. Kalendis Novis concessa, de qua Dio Cassius sub finem lib. LIV. & Ovidius VI. Fastor:

Venit Apollinea longas CONCORDIA *lauru*
Nexa comas, placidi Numen opusque Ducis.

Signa ibi alia à Plinio, [1] ex ære, celebrata sunt, Junonis, & Battonis adorantis Apollinem, opus Bedæ: Latonæ Apollinem & Dianam sustinentis, opus Euphranoris: Æsculapi & Hygeiæ, opus Nicerati: Martis & Mercuri, opera Pisicratis: Cereris & Jovis, opera Sthenis: denique Victoriæ ejusdem marmoreæ. Templi hujus ἰχνογραφίαν, quam Palladius Architectus delineavit, non abs re visum est in Commentarium nostrum transfer-

[1] Lib. 34. & 36.

ferre, & Lectori eleganti curiosè examinandam proponere.



Aliud Concordiæ Templum invenio, in ipsâ Arce conditum, de quo Livius lib. XXII: *In Relligionem etiam venit Ædem Concordiæ, quam per ſeditionem militarem biennio antè L. Manlius Prœt. in Gallia voviſſet, locatam ad id tempus non eſſe. Itaque Duumviri ad eam rem creati ab Æmilio* 1 *Prœt. Urbis Cn. Pupius, & Kæſo Quinctius Flaminius*. Ædem in Arce faciendam locaverunt.* idem libro ſequenti: *Duumviri creati M. & C. Attilii ædem Concordiæ, quam L. Manlius Prœt. voverat, dedicaverunt.* & Kalendarium Vetus diffractum, his verbis:

NON. N. CONCORDIAE
IN. ARCE. FERIAE. EX
S. C. QUOD. EO. DIE
IMPERATOR. CAESAR
AUGUSTUS. PONTIFEX
MAX. TRIB. POTEST.
XXI. COS. XIII. A. SENATU
POPULOQUE. ROMANO. PATER
PATRIAE. APPELLATUS.

Hujus fortaſſè renovati meminit Vetus Inſcriptio, quam in Laterano majores noſtri viderunt, & idem Marlianus exſcripſit:

DN.

1 M. Aimilio Regillo.
* Voluit *Flamininus.*

DN. N. CONSTANTINO. PIO. FELICI. AC
TRIUMPHATORI. SEMPER
AUGUSTO. OB. AMPLIFICATAM. TOTO
ORBE. REMPUBLICAM
FACTIS. CONSILIISQUE
S. P. Q. R.
AEDEM. CONCORDIAE. VETUSTATE. COLLAPSAM. IN. MELIOREM.
FACIEM. OPERE. ET. CULTU. SPLENDIDIORE. RESTITUERUNT.

De aliis Concordiæ Templis consulendi Livius lib. IX. Plutarchus in Gracchis, Plinius lib. XXIII. cap. I. Appianus primo de bello Civili, Dio lib. LIV. Augustinus lib. III. de Civitate Dei c. XXV. & è recentioribus Fabricius, Marlianus, Fulvius, alii; nobis enim acta non libet agere: neque etiam, si brevitatem institutam amamus, licet.

FIDES, antiquum [1] & solemne P. R. Numen, Ædem suam habuit in Arce Capitolinâ, haud longe à Primario Jovis Templo, fide Catonis CensorI, apud Ciceronem in Officiis, cum ait: FIDEM *in Capitolio vicinam I. O. M. majores nostri esse voluerunt*, & Tertulliani nostri, in Apologetico, his verbis: *Colat*

[1] Agell. lib. 20. cap. I. Liv. lib. I.

*Colat alius Deum, alius Jovem; alius ad cælum supplices manus tendat, alius ad Aram Fidei manus**. Hujus ædis originem, 1 sunt qui ad Numam Pompilium Regem, sunt qui ad Attilium Calatinum referant. Ego sic crediderim Numam Regem instituisse, Attilium deinde istum vel ornasse vel reparasse; quod & in aliis Romæ Templis sic factum, ut restitutores eorum pro authoribus posteà habiti. Pro Rege facere videatur Sillius in verbis Jovis:

Ille etiam, quà prisca Fides stat Regia, nobis
Aurea Tarpeia ponet Capitolia Rupe.

De Domitiano enim loquitur, quem apud Fidei antiquæ Regiæ Templum Capitolium olim sibi instauraturum promittit. Fuit aliquando cum de antiquissimâ Fide Palatinâ, ab Æneâ ibi dedicatâ, accipiendum hoc crederem; quam tamen sententiam nunc omnino non probo. In Capitolinæ nostræ æde *Imago senis cum lyra puerum docentis* Plinio laudata est. & Jul. Obsequens in prodigiis, M. Antonio & P. Dolabella Coss. factis, *Tabulas æneas* ex eadem *turbine evulsas* notat.

* Hæc vox supervacua est, nec legitur illic in Tertulliano.

1 Dionys. lib.2. Plut.Numâ. Cic. 2. de Nat.Deor.

tat. Fides autem Dea (ut de ejus cultu aliquid adſtruamus) Sabinorum relligione una ex Novenſilibus erat, teſte Varrone lib. IV. de L. L. & Arnobio lib. III. Diſputat. adverſus Genteis. atque adeò mirum non eſt Sabino Pompilio venerationi fuiſſe atque honori. Livius lib. I. de eodem Rege: *Camœnis eum lucum* (Ægeriæ) *ſacravit, & ſoli* FIDEI *ſolenne inſtituit.* Mirum autem cur hîc Livius dicat: FIDEI *ſoli*, cum JOVI etiam OPIΩI ſive TERMINALI in Urbe & agris *θυσίας ἐν ὡρισμένοις χρόνοις* idem inſtituerit, ut ex Dionyſio & Plutarcho alibi [1] firmavimus. *Solemne* [2] autem *Sacrum* idem eſſe cum *anniverſario* & *ſtato* cuivis paullò humaniori notum eſſe puto. Itaque, quicquid ogganniat Robortellus, Sigonio acceſſerim, eruditiſſimo viro, ſic emendanti: *Et ſimul Fidei ſolemne inſtituit*; idoneo hîc nimis & neceſſario ſenſu. Niſi fortè (quæ ſuſpicio mihi poſt incidit) gloſſema *τὸ ſoli* eſſe dixerimus ex inutili repetitione vocis *Solemne* natâ *: quæ compendiosè aliquando & ambiguè *Sole*, cum apice ſuperducto à notariis ſcribebatur. Addit Livius, *ad id Sacrarium Flamines bigis*,

1 Cap. XIV. 2 Lactant. Gram. in lib. I. Theb. Serv. 8. Æneid.

* Voluit natum.

gis, curru arcuato, vehi, & manu ad digitos usque involutâ rem divinam facere jussos. cujus rei rationem breviter sic reddit Servius: 1 *quia fides* (inquit) *tecta esse debet & velata.* quo ducunt etiam illud Horatii Interpretes vulgo:

Te Spes & albo rara Fides colit
Velata panno.

quod non tam ad sacrificalem Ritum quàm ipsius simulacri κόσμον putem esse referendum. Videntur enim Romani Capitolinam Fidem, quo magis candorem illum mutuum qui in amicis exprimerent, albâ veste indutam ostentâsse. Inde (quod opinor) Virgilio, *Cana Fides*, & P. Victori Sextoque Ruso 2 *Fides candida* nominata. Inde etiam forte solemnis illa Calchidensium sacrorum Formula apud Plutarchum in Q. Flaminino:

ΠΙΣΤΙΝ δὲ Ρωμαίων σέβομεν, τὰν ΜΕΓΑΛΕΥΚΟΤΑΤΑΝ
Ὅρκοις φυλάσσειν.

Gallis autem nostris eam olim consuetudinem fuisse ut Deos suos albatos circumferrent, auctor est in vitâ D. Martini Sulpicius Rhetor, cujus verba sunt lib. 1. *Quia esset hæc Gallorum rusticis consuetudo simulacra Dæmonum, candido tecta velamine, misera per agros*

1 In 7. Ænei. 2 In Reg. 8.

agros suos circumferre dementia. exemplo, sine dubio, Urbis omnium Matris, quæ suarum superstitionum Ritus unà cum Imperii Lege toto terrarum orbe diffundebat.

MENTEM *primus in Urbe* Deam *fecit timor* belli impendentis. ideò ait Ovidius: [1]

MENS quoque numen habet. Menti delubra videmus
Vota metu belli, perfide Pœne, tui.

Vota autem Menti ædes, [2] in Capitolio, bello Punico secundo, teste Livio libro XXII. quem anteà laudavi. & D. Augustino lib. VII. de Civitate Dei cap. III. Dedicata à T. Octacilio Crasso, Duûmviro ejus rei ergò creato; unoque tantum canali ab Æde Veneris Erucinæ discreta. Videtur alibi ejusdem Numinis Templum aliud fuisse à M. Marcello, qui Syracusas cepit, votum, & M. Aimilio Scauro dedicatum. de quo Plutarchus in libello singulari de Fortunâ P. R. & L. Balbus apud Ciceronem lib. II. de Nat. Deorum.

Quantum vero Divinitatibus istis tribuendum putârit C. Plinius, manifestum fit è lib. II. Naturalis Historiæ c. VII. cum ait: *Innumeros quidem credere (*Deos*) atque etiam ex*

1 6. Fastor. 2 Kal. V. ad d. 5. Idus Jun. Liv. lib. 23.

ex Virtutibus Vitiisque hominum, ut PUDICITIAM, CONCORDIAM, MENTEM, SPEM, HONOREM, CLEMENTIAM, FIDEM; *aut* (*ut Democrito placuit*) *duos omnino* POENAM & BENEFICIUM *majorem ad socordiam accedit. Fragilis & laboriosa mortalitas in partes ista digessit, infirmitatis suæ memor, ut portionibus quisquis coleret quo maximè indigeret.* Aliter tamen Ciceroni noſtro philoſophari placuit in [1] libb. περὶ πολιτείας, ſive, de Legibus, quamvis idem ὡς ἀμφιδέξιος ſub perſonâ C. VelleI Senatoris fortiter cum Plinio ἀθηκυρίζει in libb. de Nat. Deor.

1 Lactant. lib. de falſa Relig. cap. 20.

CA-

CAPUT XLIII.

FORTUNA *Dea variè cognominata.* PRIMIGENIA & OBSEQUENS *in Capitolio. illius Templa alibi & Sortes. Plautus bis leviter correctus: & Scholiastes Juvenalis notatus. De æde* HERCULIS & DIANAE *Capitolinæ quæsitum.* Nemesis *etiam* Fortuna. *ejus Templum in Capitolio & relligio. Finitum in fano* Carmentæ. Carmentalia. Carmentes. Carmentarii. Carmina. *Deæ* Postverta & Antevorta, Prosa, Porrima, Flamen Carmentalis.

Quia P. R. non minus *εὐδαιμονίᾳ καὶ εὐτυχίᾳ*, quàm bellorum præstantiâ imperio se Orbis potitum esse credebat; ideò FORTUNAE etiam suæ [1] *ὡς δαιμονιώτερόν τι ὄσῃ* Divinos Honores attribuit, multisque Ædibus, Delubris, Sacellis, Aris veneratus est.

1 Arist. 2. Ethicor.

est. Hinc varia ista Romæ, pro locorum diversitate, FORTUNAE cognomenta: FORTIS, ADJUTRICIS, STATAE, TUTELLAE, SALUTARIS, MANENTIS, SANCTAE, DUBIAE, FELICIS, PUBLICAE, REDUCIS, EQUESTRIS, OPIFERAE, RESPICIENTIS, AUGUSTAE, VIRILIS, BARBATAE, VIRGINIS, MAMMOSAE, SEIAE, MULIEBRIS, PRIVATAE, MALAE. & in Capitolio nostro PRIMIGENIAE, atque OBSEQUENTIS. Sarisberiensis 1 enim qui tertiam his addit PUBLICAM, OvidI Fastos 2 non legerat, qui in colle Quirinali ejus Ædem & Imaginem stetisse disertè adfirmavit.

PRIMIGENIAM FORTUNAM primus omnium Serv. Tullius Rex Romæ veneratus est, Æde illi in Capitolio structâ, 3 *cum omnes Regni opes illi uni ferret acceptas: vulgoque prædicaret consuetudinem sibi cum illa intercedere.* 4 Rationem cognominis reddere conatur Dio Coccejanus, verbis à Leunclavio intrepretatis: *Præterea* (inquit) *sanguis ex pistrino effusus ad alterius Fortunæ Templum profluxit, quam ea de caussa, quòd omnia &*

S ante

1 Polycrat libro 5. cap. 4. 2 Lib. 4.
3 Plut. lib. de Fort. P. R. 4 Lib. 42.

ante oculos & retrò posita, cùm respicere, tum expendere quisque debeat, nec oblivisci, ex qualibus qualis ortus ipse sit; & consecrarunt Romani & agnominarunt, modo quodam Græcis inexplicabili, PRIMIGENIAM. Factum id prodigium Cæsarianis temporibus, paullò post Annium Milonem & M. Cœlium, seditionis capita, in Campania occisa. [1] *Alteram* autem *Fortunam*, quam vocat Dio, opinor OBSEQUENTEM esse, unde conjicimus exiguum loci discrimen inter utramque fuisse. Plutarchus, in Quæstionibus Romaicis, nominatam sic potius PRIMIGENIAM credidit, *vel quòd ipsa ortus sui initia Romanæ Urbi suggesserit; vel quòd ex eventis fortuitis Natura primùm orta sit.* quæ Plutarchi sententia longè cordatior, & sapientiâ illâ vetere Romanorum dignior esse videtur. Utriusque Fortunæ Templum haud longè à Capitolino Delubro dedicatum fuisse, ostendit vetus marmor Prænestinum, [2] cujus initium est:

TU. QUAE. TARPEIO. COLERIS. VICINA. TONANTI
VOTORUM. VINDEX. SEMPER. FORTUNA. MEORUM
ACCIPE. QUAE. PIETAS. PONIT. TIBI. DONA. MERENTI

quod

1 Dio ibidem.
2 Apud I. Gruterum, Pighium & alios.

quod & alibi posuimus. Prænestinis autem Sortibus explicandis PRIMIGENIAM præpositam fuisse jam alii monuerunt, & ex veteribus adhuc Monimentis quamplurimis apparet. Celebris eam relligionis etiam alibi fuisse præter Regiam superstitionem, votum ostendit P. SempronI Cos. contra Hannibalem pugnantis, ex quo decem postea annis 1 ædes FORTUNAE PRIMIGENIAE in Quirinali posita: ostendunt etiam Antiquorum lapidum inscriptiones, ut iste apud Janum Gruterum:

C. APPULEIO. DIOCLI
AGITATORI. PRIMO. FACT
RUSSAT. NATIONE. HISPANO
FORTUNAE. PRIMIGENIAE
D. D.
C. APPULEJUS. NYMPHIDIANUS
ET. NYMPHIDIA. PUERI

OBSEQUENTIS FORTUNAE Templum idem Tullius in Capitolio dicavit, teste Plutarcho, libello elegantissimo de Fortunâ P. R. quod & in VIII. Urbis Regione à P. Victore collocatum est. Rationem ejus nominis obscuram non puto, cum *Obsequi*, *indulgere* sit,

1 Liv. lib. 26. & 34. Fasti Pighiani.

apud Scriptores, *clementem*, *tractabilem*, *&* *propitium se præbere*: Eò respexit pater facetiarum Plautus in Asinariâ, Scenâ, *Cur me retentas nunc*:

AR. quem te autem nominem Deum?
LE. Fortunam atque
Obsequentem.

sic enim è vetere libro Vaticano (præut quàm vulgò habetur:

—— Fortunam atque Obsequellam.)

longè concinniùs & venustiùs legendum est. Meritò namque *Fortunæ Obsequentis* nomen sibi adscribi mandat servulus, qui herilis sui filii amoribus fovendis xx. argenti minas alicundè exterebraverat. Occasione autem loci hujus Plautini alius in mentem venit, quem ex eadem Vaticanâ Bibliothecâ adolescentes emendavimus. Is est in eadem Comœdiâ Scænâ primâ, senis Demæneti verbis:

Omnes parentes, Libane, liberis suis,
Qui mihi auscultabunt, facient obsequelam jam.

Ubi sana videri possint omnia, nisi codicúm ultimis in verbis varietas occulti aliquid vitii subesse CL. etiam Medico Camerario 1 persuasisset. In veteri editione Tarvisinâ, quam in-

1 Notis in hunc locum.

inspexi, est: *Obsequelam fecerint.* Camerarius vocem illam *jam* fatetur non esse in Vett. libris, sed vel illam vel similem videri desiderari. In χειρογράφῳ Vaticano: *facient obsequullam* legitur; unde nos suspicabamur anteà ὑποκοριστικῶς hic: *obsequellulam* fuisse. more poëtæ nostro satis familiari, dum istiusmodi ὑποκορίσμασι blandiores sæpe blanditias facit. quâ etiam ratione ad numerum suum versus redit, qui anteà ex Jambico Senario Spondaicus erat effectus, reclamante universa eâ Scænâ. Meminit Fortunæ OBSEQUENTIS Seneca Tragicus, in Octaviâ, Scenâ, *Perage imperata*:

> *NE: Fortuna nostra cuncta permittit mihi.*
> *SE: Crede* OBSEQUENTI *parcius; levis est Dea.*

Et vetus marmor Novocomense ad D. Mariæ:

> FORTUNAE
> OBSEQUENTI
> ORD. COMENS
> VOTO. PRO
> SALUTE. CIVIUM
> SUSCEPTO

Nec mirum vota huic Divæ crebra facta, atque suscepta, *cum* (ut eleganter à Plinio

[1] dictum est) *toto mundo, & locis omnibus: omnibusque horis, omniumque vocibus* FORTUNA *sola invocetur una & nominetur*; quùm omnia eam posse in ditandis beandisque hominibus antiquitati persuasum fuerit. ut ex isto Virgiliano facilè addiscimus.

Fortuna OMNIPOTENS, *& ineluctabile Fatum.*[2]

Quare huic potiùs Numini, aut Felicitati, quàm Jovi Capitolinam Arcem consecrari debuisse sapientissimè argumentatur Christianorum Philosophorum τὰ πρῶτα D. Augustinus lib. de Civit. Dei IV. cap. XXIII. De hujus aut superioris Fortunæ Æde capiendum quod vetus Juvenalis Scholiastes [3] adnotavit ad Satyræ x. verba de Centronio:

—— *vincens Fortunæ atque Herculis Ædem.*

Apud Præneste (inquit) *& Fortunæ & Herculis habent Ædes. aut certè quod in Capitolio, post ædem Dianæ, & Jovis, secundam de miraculo operis habent gloriam Fortunæ atque Herculis ædes.* si tamen is sensum Satyrici Poëmatis rectè percepit. nam per ædem Herculis non Capitolinam aliquam, sed cele-

le-

1 Lib. 2. cap. 7. 2 Æneid. 8.

3 A Pithœo editus. *Sed is locus est ex Satir.* XIV *vers.* 90.

leberrimam Tiburtinam intelligi verba indicant ſuperiora.

> — *Summa nunc Tiburis arce:*
> *Nunc Praneſtinis in montibus alta parabat*
> *Culmina villarum.*

quemadmodum per Fortunæ, nominatisſimam alteram, quæ Præneſte olim fuit, in quâ ſortium (uti diximus) ciſtellæ adſervarentur. Habuiſſe quidem Sacellum in Capitolio Herculem ſuſpicio noſtra eſt ex Vetuſti Lapidis Inſcriptione, quam capite xxv. hujus Commentarii exhibui: minoris tamen (ut opinor) famæ, quàm quæ à magnificentiâ laudari ſic debeat. De Diana Capitolina nullus alius (quod ſciam) antiquiorum quid tradidit; non credo tamen à Deorum Dearumque omnium domicilio celeberrimàm Divam fuiſſe ſecluſam.

NEMESEOS ſimulacrum & Templum, poſt Fortunas, adſcribam: quia & ipſa *vim quandam Fortuna* poſſidere credita, auctoribus I. Capitolino, [1] Claudiano, & veteri iſto lapide in Pannoniis:

1. In Max. & Balbino.

DEAE. NEMESI
SIVE. FORTU
NAE
PISTORIUS
RUGIANUS
V. C. LEGAT
LEG. III. G
GORD

quamvis non desint qui μυεjωνυμον hanc Divam Ledam esse putent, à Jove constupratam, quæ post indigitationem sic appellata sit; 1 alii Venerem, aut unam ex Curetibus Nymphis, Jovis Saturnii nutriculis, de quâ fortè D. Augustinus dicti jam libri cap. VII: *Quid de ipso Jove senserunt qui ejus nutricem in Capitolio posuerunt?* nisi malis de Oleniæ capellæ signo hoc interpretari: quod in æde Vejovis ad Asylum conspiciebatur: 2 ut suprà notavimus. Sed tam varia sunt atque multiplicia quæ de Numine isto jam olim traduntur, ut vel *loquacem* aliquem

Delassare queant Fabium.

quæ quibus cordi erit videre, adeant (si placet) præter veteres ac recentiores infinitos, Joachimum maximè Camerarium lib. III. Pro-

1 Lactant. lib. I. Plin. lib. 36.
2 Cap. 40.

Problemat. Decur. IV. Lilium Gyraldum Dialogiſmo XIX. & Joannem Bapt. Pium Annotat. Poſterior. cap. LXX. Nos ne occiſiſſimi ſimus, cramben illam non recoquimus. *Nemeſis Templum* in Regione Urbis IIX. à Victore numeratur: in Capitolio (ut opinor) quamvis id Publius ipſe non exprimat. Auctoritati enim PlinI id tribuendum puto, lib. XI. de rerum Natura cap. XLV: *Eſt poſt aurem aquè dextram Nemeſeos (quæ Dea Latinum nomen ne in Capitolio quidem invenit) quò referimus tacto ore proximum minimo digitum; veniam ſermonis à Diis ibi repoſcentes.* & iterum lib. XXIIX. cap. II. his verbis: *Cur & faſcinationibus adoratione peculiari occurrimus? alii Græcam Nemeſin invocantes; cujus ob id Romæ ſimulacrum in Capitolio eſt, quamvis Latinum nomen non ſit.* Peregrinitas hujus nominis offendit etiam Auſonium Poëtam, cui propterea in Moſella ſcribitur:

— *Latiæ Nemeſis non cognita linguæ.*

celeberrimè tamen à Romanis cultam fuiſſe Romana iſta marmora fidem faciunt:

1 SANCTISSIMAE.
NEMESI.
L. ANNIUS. L. F. SER.
VITALIUS
ET. AVINIA. FELICITAS
SUA. PEC. D. D.
DEDIC. XV. KAL......
SILIANO. ET. ATTICO. COS.

*

VIRGINI. VICTRICI
SANCTAE. DEAE.
NEMESI.
M. AURELIUS.
ROMANUS.
OPTIO. &c.

*

NEMESI
SANCTAE
CAMPESTRI. PRO. SA
LUTE. DOMINORUM
NN. AUGG. P. AEL. P. F.
AELIA. PACATUS
SCUPIS. QUOD. COH. DOC
TOR. VOVERAT. NUNC
CAMPI. DOCTOR. COH. I.
PR. P. V. SOMNIO. ADMO
NITUS. POSUIT. I. I.

Fi-

1 Ex Panvinio, Grutero & ſchedis meis.

Finiam Muliebreis Relligiones Templo Carmentali, ſive CARMENTIS, aut CARMENTAE Deæ, quam *Nicoſtratam* etiam, & *Tiburtem* & *Themin*; & *Nympham* alii adpellant; quamque in ima SaturnI montis parte, quà Circi FlaminI Regionem reſpicit, conſediſſe [1] ſuprà docuimus. Unde loco nomen *Saxo Carmentis*, & Portæ *Carmentali*, quæ etiam *Scelerata*: juxta quam Fanum ſive Templum Carmentæ. Illud matronæ Romanæ (teſte Plutarcho in Problematis) jure Carpentorum recepto in gratiarum quaſi actionem conſtruxerant, & magno poſteà ſemper in honore habuerunt. cujus rei rationem reddidit idem ſcriptor accuratè in Camillo, Ovidius etiam, curioſiſſimæ felicitatis auctor, ſub finem lib. I. Faſtor. Unde cuivis obvium eſt petere. Fiebat huic Divæ ſacrum, [2] *Carmentalia* dictum XVII. Kal. Februar. & iterum pridiè Eiduum ejuſdem menſis à Flamine Carmentali. cujus ſacerdotii Cicero meminit occaſione M. Popilii Lænatis v. c. in Bruto, ſive Dialogo de claris Oratoribus. Nomen CARMENTAE unde natum ſit quæſitum video à diverſis, in eamdem ta-

S. 6. men

1 Cap. 2. 2 Faſti Ovid: & Kalend V. Varro 5. de L. L. Plutarch. Romulo. Macrob. lib. I. cap. 16.

men sententiam conspirantibus; à *Carminibus* videlicet, sive Vaticiniorum ᾠδαῖς, quibus innotuisse eam Vetustas adseruit. nam & Græcis θεσπιῳδὸς dicta (teste Dionysio 1) & ῥωμαϊκῶς *Carmenta*, quia antiquitùs (inquit 2 Servius) *Vates Carmentes, & librarii, qui eorum dicta perscriberent, Carmentarii appellati.* quam ἐτυμολογίαν Latinis maximè placuisse Plutarchus affirmat, in Problematis. quod Ovidius etiam testari videatur hoc versu:

> *Ipsa fave, quæ nomen habes à carmine ductum.*

Hinc oracula etiam ipsa & vaticinia *Carmina* appellari cœpta: quasi à Carmentibus profusa. *Carmentes* autem illi (si Plutarcho credimus) dicti *quasi carentes mente*, quòd cùm cœperint vates ἐνθουσιάζειν extra sese rapi furentes soleant, ut Divino quasi inspiratu oracula profundant. Duas fuisse Carmentes putat 3 Agellius, quibus aræ Romæ exstructæ, quarum altera *Postverta* nominata sit, *Prosa* altera, *à recti perversique partus & potestate, & nomine.* has alii vel sorores vel fugæ comites

1 Lib. 1. Antiq.
2 In 8. Æneid.
3 Lib. 16, cap. 16.

tes veræ Carmenti fuiſſe tradunt. [1] ſed quam *Proſam* Agellius, illi *Porrimam* vel *Antevertam* dicunt.

1 Ovid. 1. Faſt. Serv. ibid.

CAPUT XLIV.

De casâ Romuli *in Capitolio ſtramentis tectâ, & relligiosè ſervatâ.* Feſtra *quid in Sacrario? mendum in P. Victore obſervatum. iterùm de curiâ* Kalabrâ, *ejuſque uſu. Stramen & ſcandulæ antiquisſima Romanarum domuum tegumenta.*

Dabunt nunc mihi veniam magnificentisſima Capitolii Templa ſi ad pauperem Quirini caſam, [1] *in Arce Sacrorum ſtramentis tectam* curſum meæ orationis deflectam, de quâ egregiè Sillius Baſſus declamator [2] apud Senecam: *Inter hæc tam effuſa mœnia nihil eſt*

1 Vitruv. lib. 2. cap. 1.
2 Lib. 1. Cont. 6.

est humili casa nobilius. fastigiatis suprà tectis auro puro fulgens prælucet Capitolium. & alter apud eumdem [1] Cæstius Pius: *Colit etiamnum in Capitolio Casam victor omnium gentium populus: cujus tantam felicitatem nemo miratur. Meritò potens est.* Meminit ejus casæ Dionysius lib. I. Antiq. Livius lib. v. Valerius lib. II. cap. de Disciplinâ Militari, lib. etiam IV. cap. IV. Vitruvius lib. II. cap. I. Dio Coccejanus lib. XLIIX. & LIV. Ovidius in Fastis.

Eam continuò Romani reparabant, culmis tamen semper & stramine: tum quod nonnullum in eo Perpetuitatis omen situm existimarent; tum etiam ut ostenderent tantam ac talem Urbem è casis & mapalibus enatam. quod Poëtæ more suo libenter extollunt, maximè delicium nostrum Propertius:

[2] *Hoc quodcunque vides, Hospes, quàm maxima Roma est:*
Ante Phrygem Æneam collis & herba fuit.
Atque ubi navali stant sacra palatia Phœbo,
Evandri profugæ procubuêre boves.
Fictilibus crevêre Deis hæc aurea Templa,
Nec fuit opprobrio facta sine arte casa.

& quæ

1 Lib. 2. Cont. 1. 2 Lib. 4.

& quæ ibi ſequuntur nullo unquam ſatis ore laudata. Petronius in Catalectis Romuleam Caſam cum Feſtrâ Capitolinâ conjungit, ubi de ævi ſui luxu:

Vilis ſervus habet regni bona, callaque capti
Deridet feſtram, Romuleamque caſam.

Erat autem *Feſtra* (auctore Gniphone Grammatico[2], qui integro volumine de eo diſputavit) *oſtium minuſculum in ſacrario* Capitolii extremæ antiquitatis. quo vocabulo Ennium etiam uſum, refert antiquus Saturnaliorum ſcriptor: & Petronium alibi in Satyrico Scioppius Veriſimilium II. cap. I IX. Quin antiquiores omnes, auctoritate Feſti, 2 *Feſtram* dicebant quam nos *Feneſtram*, ne quis inſolentem vocabuli novitatem nimis admiretur. conjungit autem Feſtram Jovis cum Romuli caſa Petronius, quod utraque in Capitolio, locis parum invicem disjunctis, eſſet. Quò magis admiror quomodo mens aut ſtilus aberrârit P. Victori in Regione Urbis decimâ (quæ & *Palatium*) caſam Romuli collocanti. niſi malimus exemplariorum διαφθορὰν accuſare: quam heic

1 Apud Macrob. 3. Sat. cap. 12.
2 Paullus Diacon. hac voce.

heic & alibi in fidissimo scriptore observavi. Situm autem propiùs ejus casæ si quæris, invenio jam Curiæ Kalabræ, Romuleo item operi, pœnè contiguam fuisse. adfirmat Macrob. lib. I. Saturnal. his verbis: *Pontifex Kalatâ, id est, vocatâ in Capitolium plebe, juxta Curiam Kalabram, quæ casæ Romuli proxima est, quot numero dies à Kalendis ad Nonas superessent, pronunciabat.* A quâ Kalatione (quam Pont. [1] hîc Minor facere solitus) ipsi demùm Curiæ nomen adhæsit. culmis hanc etiam & stramentis obtectam fuisse testantur imprimis Poëtæ; Virgilius lib. VIII. Æneidos:

—— Romuleoque recens horrebat Regia culmo.

Ovidius in I. Fastorum:

Quæ fuerit nostri si quæris Regia nati?
Aspice de canna straminibusque domum.

[2] primum enim hoc fuit in Romanorum casis tegumentum: scandulæ dein successerunt. quibus contectam fuisse Romam, usque ad bellum Pyrrhi, id est, per trecentos septuaginta ferè annos, Cornelius Nepos auctor est apud Plinium. [3] *Curia* autem *Kalabra* (meâ, & com-

1 Varro 5. de L.L. Serv. in 8. Æneid. P. Vict. Reg. 8.
2 Vitruv. ibid. 3 Lib. 16. cap. 10.

& complurium aliorum ſententiâ) in eâ Montis parte ſtetit quæ Palatini montis angulum , Viamque Sacram , aſpicit : ubi Senatorum P. R. ædes hodiè exſtructæ , marmoreiſque ejus Porticibus ferè ſubnixæ viſuntur.

CAPUT XLV.

Contra vulgarem opinionem de carcere Tulliano *è Baronio ferè diſputatum. non videri in Capitolio , ſed ad Theatrum Marcelli fuiſſe.* Unus *olim* carcer Urbanus. *UgonI in P. Victore ἐπανόρθωσις rejecta. & Inſcriptio Carceris Capitolini examinata. is* Mamertinus , *aut* Mamertini cuſtodia , & carcer Privatus *etiam dictus.* Tulliana *γενικῶς pro Carceribus. quid* Latomiæ *aut* Latumiæ ? *De* Robore *opinio BaronI confutata.*

Neque etiam , quùm omnia CapitolI ædificia deſcribimus , nobile illud quadrato ſaxo

ſaxo exciſum tranſeamus quod in Septentrionali montis radice *Carcerem Mamertinum* Acta SS. Martyrum [1] pleraque, vulgus *S. Petri in Carcere Tulliano* uſque in hodiernum diem conſtanter appellat. Et quidem ſi molem ipſam totam inſpicimus, præ ſe fert ſpeciem Tulliani illius, quod à principe Hiſtoricorum deſcribitur in Catilinario & Calpurnio Flacco Declamatore apud Senecam Rhetorem, Actis quoque SS. Chryſanti & Dariæ [2], quorum verba jam ſatis anteà vulgata. Quò minus tamen Pomponio Læto, Guilielmo Fabricio, Pompeio Ugonio, aliiſque eruditis adſentiar, verum hoc eſſe Tullianum affirmantibus, ab Arco Marcio Rege, [3] mediâ Urbe, conſtructum; auctoritas facit Illuſtriſſimi Viri Cæſaris BaronI, qui ſuis in Martyrologium Romanum Notationibus [4] confutatis aliorum argumentis, ſolidiſque rationibus adductis totam hanc de Tulliano Carcere quæſtionem acutiſſimè decîdit. Nos ex ingenti earum numero & acervo, tres iſtas eximias notabamus.

Imprimis ſitum ipſum loci ſi examinamus carcer *D. Petri*, ſive *Mamertinus* in Aquilonari

1 Proceſſi & Martiniani, LaurentI, aliorum.
2 Apud Baron. in Martyrolog Rom.
3 Liv. lib. 1. 4 Ad diem Ptid. Idus Mart.

nari (ut dixi) TarpeI Montis parte eſt; *Tulliaпum* autem verſus occidentem ædificatum eſſe non una veterum oſtendit auctoritas. Ante alios irrefragabilis illa C. PlinI VII. Hiſtóriæ Naturalis, cap. poſtremo, cùm ait: *XII. Tabb. Ortus tantum & Occaſus nominantur, poſt aliquot annos adjectus eſt & Medidies, Accenſo Coſſ. id pronunciante, cùm à Curia, inter Roſtra & Græcoſtaſin, proſpexiſſet talem ſolem. A columna Mœnia ad Carcerem inclinato ſidere, ſupremam pronunciabat. Tempeſtatem* ſcilicet ſupremam. agit enim de antiquiſſima Romanorum conſuetudine, qui ante Horologia inventa aut poſita Solem ortum & occaſum, obſervatione locorum quorundam, per Accenſum deſignabant. *Supremam* autem *Tempeſtatem Solem* fuiſſe *occaſum* ex XII. Tabb. auctoritate Macrobius adſerit I. Saturnal. cap. III. & Cenſorinus ad Cærellium, cap. XIX. ac proinde verſus eam cæli partem carcerem Romanum conſtitutum fuiſſe tam clarum jam eſſe videtur,

Quàm ſolis radii eſſe olim, quum ſudum
eſt, ſolent.

Succedit alterum ex eodem Plinio argumentum, priori non minus validum ac probum, de Templo PIETATIS *exſtructo* (quod 1 Plinius

1 Lib. 7. cap. 36.

nius ait) *in ea Carceris sede ubi nunc Marcelli Theatrum est C. Quinctio & M' Acilio Coss.* Theatrum autem Marcelli (ut vel pueris jam notum) inter flumen & Capitolium ab [1] Augusto conditum, si è Foro respiceres, in quo columna Mœnia, occidentem solem omninò occupabat. Fuisse autem veterem Carcerem, qui unus quondam in Urbe Roma fuit, nonnihil imminutum mutatumque; præter Plinium ipsum, qui Templi in eo memorabili de causa structi commeminit, Livius etiam satis ostendit, his verbis: [2] *Fecit carcerem* (Ancus Marcius Rex) *media Urbe, imminentem Foro, ad terrorem increscentis audaciæ, * remanet tantum ea pars, quæ fuit addita à Servio, & appellatur Tullianum.* ac si diceret: quicquid Marcius Rex in eo carcere inchoârat posteritatem vel mutâsse vel dempsisse, dum relligioni vel necessitati id tribuere interdum coacta. Dixi unum quondam Carcerem in Urbe Româ fuisse, quod adfirmat Satyricus Aquinas, Satyra x. his verbis:

Fe-

1 Sueton, in ejus vita. 2 Lib. 1.

* Hæc quæ sequuntur, mirum unde & cur Rycquius tanquam Liviana curaverit edi charactere eodem, quo præcedentia; quum plane sint aliena ab Livio, & nisi fallor, ipsius verba.

Feliceis proavorum atavos, felicia dicas
Sæcula, qui quondam sub regibus atque Tribunis
Viderunt uno contentam carcere Romam,

intellige Rerum Capitalium sub *Triumvirûm* custodiâ; nam *Centumvirorum*, qui [1] civilibus judiciis præerant, alter erat teste P. Victore, in Regione Circi Flaminl: qui ære alieno ferè nexos contineret. Non sum nescius Ugonium sollicitâsse veterem in Publio lectionem, & pro: CARCER. C. VIRORUM. *aliàs*, C. LX. VIROR. suo periculo, CARCER. XVIROR. reposuisse reclamantibus omnibus libris, invitâ etiam Historiâ Romanâ, in quâ nusquam lectum aut observatum publicum aliquem Romæ carcerem à Decemviris ædificatum fuisse. Illa enim quæ è libro III. Liviano confirmandæ opinioni suæ Ugonius adducit tam ἀλόγως à Baronio ipso confutata sunt, ut de eo Volcatii illud Sedigiti usurpare meritò possimus: *Siquis contra sentiat nihil sentiat.*

Tertium Illustrissimi BaronI argumentum est ab Inscriptione Veteri, quæ in carceris Mamertini frontispicio legitur, his verbis concepta:

C. VI-

1 Sigon. 1. de Judiciis cap. 22.

C. VIBIUS. C. F. RUFINUS. M. COCCEIU.... COS. EX. S. C.

quorum Coss. meminisse etiam facit aliam alibi ἐπιγραφὴν Manutio [1] memoratam:

M. COCCEIO. NERVA

COSS.

C. VIBIO. RUFINO

JULIA. PRIMA. PATRONO. SUO

Unde & lacuna Inscriptionis Capitolinæ in NERVA COCCEI cognomento suppleri potest. cui adde alteram illam apud Panvinium, & Pighium, Fastorum scriptores:

TI. CAESAR. DIVI. AUGUSTI. F. AUGUSTUS

PONTIF. MAXIM. IMP. VIII. TRIB. POT. XXIIII.

DEDIT

C. VIBIO. RUFINO. M. COCCEIO. NERVA. COS.

Creatos putat hos Coss. Baronius anno v. c. DCCXVIII. Imperii Augusti VII. (si rectè οἱ τυπογράφων παῖδες numerarias notas exceperunt.) neque addit *suffectosne* an *ordinarios* fuisse putaverit. Magnam alioqui *ἀνιστορησίαν* ἢ *ἀχρονογραφίαν* Cardinalis hic commisisset, quùm satis constet eos non sub Augusto,

[1] In Orthographiâ.

gusto, sed adoptivo Aug. Tiberio Consulatum gessisse, circa annum V. C. (ut ex eadem Inscriptione Onuphrius collegit) DCCLXXIV. Fuêre autem suffecti, ex Kalendis JulIs, Ordinariis Coss. D. HATERIO. Q. F. //// N. AGRIPPAE. ET. C. SULPICIO. SER. F. SER. N. GALBAE. quo etiam anno Tiberius Augustus XXIV. Tribunitiam Potestatem accepit: eandemque mox Druso filio per litteras absens à Senatu impetravit. Factum id, secundum Eusebii Chronica, anno Imperii ejus octavo, quorum verba in Annalibus 1 accuratissimis Vinandi PighI expressa leguntur: itaque ideò illa exscribere supersedebimus. Non erat itaque opus cur Illustrissimus Baronius verba illa Taciti huc adferret è III. Annali, de Augusto: eum, *ad correctionem perditissimorum qui inoleverant morum acriora parâsse vincula, atque indidisse custodes.* Regum scilicet illorum (de queis anteà agebamus) exemplo. quùm aliud sit vincula & custodes puniendis noxiis, aliud carcerem ipsum parare; cujus rei cura lanienæ crudelissimæ Tiberianorum temporum, quàm Augusti Principis (ut cum Terentio dicam, *Semperlenitati*) magis conveniebat. In hoc saltem egregiè adversarium suum Baronius con-

1 Tomo 3. fol. 152. Plant. edit.

convincit. Carcerem iſtum Capitolinum Reges auctores non agnoſcere, qui tot poſteà annis ſub Impp. Romanis Vibio & Coccejo Coſſ. exſtructus ſit. quamvis fortè in eum uſum primùm exſtructus non ſit, ſed creſcente rerum numero maximè ſub Principibus in Chriſtianos ſævientibus, carcer tandem eſſe penuriâ locorum cœpit. In actis enim D. Laurentl Martyris (teſte eodem Baronio) & aliorum *Carcer Privatus* interdum vocatur. fortaſſe quod non adeò publicus tum aut receptus ejus uſus, quàm magni illius celebrisque carceris in medio Urbis ædificati. Vocatur & *Cuſtodia Mamertini*, aut *Carcer Mamertinus*. cujus rei rationem è Varrone de L. L. & Faſtis P. R. Baronius inveſtigat: nihil tamen certi ſe comperiſſe fatetur. Fortaſsè quia Mamertinus aliquis aliquid in eo vel mutavit vel auxit: ut è leviſſimâ re operum Publicorum nomina vulgus interdum commutare ſolet.

Dicitur etiam vulgò *Tullianum*, & quid mirum ſi γενικῶς omnes etiam Carceres ita olim nominati? Appulejus adfirmat, certiſſimus huic rei teſtis, lib. IX. Metam. ubi de Sacerdotibus Deæ Syriæ: *Hæc, & alias affanias fruſtra blateranteis eos retrorſum abducunt pagani, ſtatimque vinctos in Tullianum compingunt.*

gunt. quo in loco de peregrino & rusticano carcere eum loqui, satis omnibus notum. qui locus nemini hactenus observatus occasionem dedit Ugonio, aliisque eruditis viris, cur appellationi carceris Tulliani in Capitolio præfisi fictam quandam τοποθεσίαν, confusis ædificiorum omnium nominibus, in mediâ Urbe somniarent.

Fuit igitur (ut semel de universâ re statuamus) amplissimum opus carceris Tulliani, ad Occidentalem Fori Romani partem, Tarpejo monti accubans, juxta Theatrum, quod Augustus in Nepotis sui honorem MARCELLI nominavit. Partem modò carceris sic vocatam anteà fuisse, præter Livium & Sallustium laudatis locis, M. Varro etiam testatur in IV. de L. L. cum ait: *Carcer à coërcendo, quod exire prohibentur. In hoc pars quæ sub terrâ Tullianum, quod additum à Tullio Rege.* Dicebatur ea pars etiam *Latomiæ* sive *Latumiæ* quod ([1] auctore Senecâ) *excisa saxis in infinitam altitudinem* esset. M. Varro id Syracusanorum exemplo factum vult, quod in eâ civitate (*ubi simili de caussâ custodirentur* rei) *vocarentur Latomiæ.* Usus eâ voce aliquoties Comicus Umber, Sidonius quoque Apollinaris lib. I.

T epi-

1 Lib. de Consol. ad Martiam ibidem.

epiſtolâ VII. de Aruando Galliæ Præfecto: *Quis enim ſuper ſtatu ejus nimis inflectere ur, quem videret accuratum delibutumque Latumiis & Ergaſtulo inferri?* Latomias autem notum eſt *Lapicidinas* appellari, quia carceris pars illa infamior (ut Baronius putat) Tarpejæ rupis ſaxo inciſa, 1 *in quam abjecti rei Robur Tullianum aſpicerent*, unde præcipitandi mox eſſent. Quod ut eruditiſſimo viro facile tribuerim, loci naturâ id omninò concedente; non æquè tamen quod de *Robore* (pace Manium ejus dictum ſit) ibidem exiſtimavit. Nimirum Saxum ipſum ſive Rupem Tarpejam, infamem ſuppliciorum locum, nihil aliud quam Robur carceris fuiſſe. Impoſuit enim Cardinali *Præcipitatio*, commune utrimque ſupplicium, differens tamen quia publicum in Saxo, in Robore occultum & privatum. De iſto accuratè & diligenter egimus, cap. IV. de hoc Feſtus Pompejus in Roboris deſcriptione: *Robur* (inquit) *dictus eſt in carcere is locus, quo præcipitatur maleficorum genus, quod antè arcis robuſteis includebatur.* De quibus arcis intelligendus fortean Plautus in Curculione:

At ego faciam vos ambo in robuſto carcere ut pereatis.

nul-

1 Calpurnius Flaccus apud Senecam.

Nullam enim præcipitationis mentionem facit. Valerius autem ſupplicii hujus meminit lib. VI. capite de Severitate: [1] *Quin etiam familiares Gracchorum, nequis P. R. inimicis amicus eſſe vellet, de robore præcipitati ſunt.* quibus ex locis ſatis apparet non Montis aliquam portionem Robur, ſed carceris Publici fuiſſe. Quod amplius eſt, Triumvirorum [2] erat capitalium in Tulliano ſtrangulare, in Robore præcipitare: quemadmodùm Tribunorum in Tarpejo nocentes ſuos punire. Præteréà Robur illud in ipſa planicie Urbis erat, vel ad ſummum in imâ Tarpeji Montis radice, carceri inædificatum; Tarpejum autem, ſive infamis ea Rupes, in celſitudinis quæ (juxta Romanum [3] Declamatorem (*ſecurè etiam deſpicientibus eſſet horrenda.* Ut nullus omninò dubitem, quin tam juſtè atque neceſſariò de Robuſto carcere à Baronio diſſenſerim, quam ille graviter & ſapienter ſuperiorum hominum *κενὰς δόξας* de Tulliano jugulârat.

1 §. 3. 2 Sigonius de judiciis c. 16. Turne. Notis in Feſtum. 3 Cornelium Hiſpanum, apud Senecam.

CAPUT XLVI.

Relligio Capitolii, & Æternitatis Romanæ persuasio. *cælo comparatum. Formula Fætialium*, Salvâ Urbe atque Arce, *quæ nunc fusius explicata. Manlius à conspectu Capitolii ampliatus.* Ars Manlia. *Vetus epigramma in Suetonio discussum.*

A Carceribus properabimus ad Metam, si prius illustres aliquot probatissimorum Scriptorum locos de AEternitate ac Sanctitate CAPITOLII, mox & de CAPITOLIIS ALIARUM URBIUM ἐσχατόκωλον, sive Corollarium, adjecero. URBIS quidem AETERNAE & CAPITOLII idem esse Fatum Romani crediderunt. Inde illud P. Virgilii quasi ex cortinâ Delphica pronuntiatum: 1

Dum Domus AEneæ Capitoli immobile saxum

Ac-

1 8. AEneid.

Accolet, Imperiumque Pater Romanus habebit.

Ex quo fluxisse putem illud gravissimi Poëtæ, Statii PapinI, 1 ad Domitianum Augustum:

Dum Montes Latii, paterque Tibris,
Dum stabit tua Roma, dumque terris,
Quod reddis, Capitolium manebit.

Istud quoque Valeri Martialis, IX. Epigrammatum:

Dum Janus hiemes, Domitianus Autumnos,
Augustus annis commodabit æstates.
Dum grande famuli nomen adseret Rheni
Germanicarum magna lux Kalendarum,
Tarpeja summi saxa dum patris stabunt.

2 quam opinionem expressit etiam Lyricus Romanus, oraculo Junonis;

—— stet Capitolium
Fulgens, Triumphatisque possit
Roma ferox dare jura Medis.

Sed & Roma ipsa apud Claudianum, 3 poste-

1 I. Silvar.
2 Lib. 3. Od. 3.
3 De bello Gildon.

ſteriorum temporum, non poſtremum ſanè, Poëtam, voto ad Jovem:

Si mea manſuris meruerunt mœnia naſci
Juppiter auguriis, ſi ſtant immota Sibullæ
Carmina, Tarpejas ſi necdum deſpicis arceis.

Hinc proverbium, ſive Formula potius, è carmine Fœtialium: SALVA. URBE. ATQUE. ARCE. quam Cæcilius Comicus eſt uſus alibi laudatus, & Horatius hoc verſu:

Incolumi IOVE, *& Urbe* ROMA.

σχηματικῶς enim per *Jovem*, Capitolium intelligit, in quo Juppiter conſecratus. Eò alluſiſſe videatur Silius lib. IIX. in perſonâ P. AEmilii Coſ. ad bellum proficiſcentis:

Tarpejæ rupes, cognataque ſanguine nobis
Tecta Jovis, quæque Arce ſuâ nunc ſtantia linquo
Mœnia felicis patriæ.

εὐφημοῦντος enim hæc vox eſt, & vota, de more, pro ſalute patriæ nuncupantis. Carmen autem ipſum Fœtialium apud Livium * ita conceptum eſt lib. XXXIIX: SI. SCIENS.

* Apud hunc iſtam formulam nuſquam legit Rycquius. Sed in eo ſane Livii libro exſtant leges fœderis cum Antiocho. Formula vero iſta eſt apud Feſtum in *Lapidem ſilicem*.

SCIENS. FALLO. TUM. ME. JUPPITER. SALVA. URBE. ARCEQUE. BONIS. EIICIAT. UTI. EGO. HUNC. LAPIDEM. Unde cum Urbem Galli Senones incendissent, Capitolio tamen salvo, adeò consternati eâ clade cives fuerunt, ut Vejos migrare cogitaverint, obsistente uno maximè Urbis liberatore Camillo, cujus relligiosa illa apud Livium [1] vehemensque sententia: *Majores nostri convenæ, pastoresque cum in his locis nihil præter sylvas paludesque esset, novam Urbem tam brevi ædificaverunt.* NOS CAPITOLIO, ARCE INCOLUMI, STANTIBUS TEMPLIS DEORUM, *ædificare incensam piget?* Ecce quàm ingeniosè Livius cùm in re præsenti conceptum illud dicere non posset: URBE ET ARCE, ARCEM ET CAPITOLIUM nominavit: quasi desperandum nihil esset sacrorum adhuc majestate salvâ. quod à Cicerone etiam factum, omissâ Arcis aut Capitolii mentione, in I. Catilinariâ: *Quod incolumeis civeis, quod stantem Urbem reliquit, quanto tandem illum mœrore adflictum esse & profligatum putatis?*

Ad eam Capitolii Fatalitatem respexit etiam Tertullianus noster, in divino suo

[1] Lib. 5.

Apologetico, cum ait : *Sed non & Juppiter Cretam suam Romanis Fascibus concuti sineret, oblitus antrum illud Idæum, & æra Corybantia, & jucundissimum illhic nutricis suæ odorem? nonne omni Capitolio tumulum suum præposuisset, ut ea potiùs Orbi terræ præcelleret, quæ cineres suos texit?* Neque aliò respexisse credam divinissimum Vatem, cum in descriptione Carthaginiensis sacrarii Capitolina Romani Imperii pignora adumbravit:

— *Heic illius* ARMA,
Heic CURRUS *fuit.* [1] *Hoc* REGNUM *Dea* GENTIBUS *esse*
(Si quà Fata sinant) jam-tum tenditque fovetque.

Ostendemus enim alibi *Sceptrum* sive *Hastam* Junonis, & fortè *clypeum Tensamque*: quemadmodum & *currus* aliorum Deorum, aliaque insignia in Capitolio recondita fuisse. Unde loci Relligio per totum orbem terrarum celebrata est: mosque etiam profluxit ut Capitolium ipsum quasi cœlum quoddam alterum in terris venerarentur. discimus id è verbis illis [2] PliniI CæciliI oratoris, de Adoptione Trajani Capitolinâ : *Non*

1 1. AEneid.
2 In Panegyrico.

Non enim occultâ poteſtate fatorum, ſed ab JOVE ipſo coràm ac palàm repertus, electus eſt. Quippè inter Aras, & Altaria, eodemque loci, quem Deus ille tam manifeſtus ac præſens, quàm cœlum ac ſidera inſedit. modeſtius paullò Silius Italicus [1] in oratione Africani ad JOVEM TARPEJUM:

—— Tarpeia, pater, qui Templa ſecundam
Incolis à cælo ſedem.

Diſcimus etiam è comparatione Palatii & Capitolii [2] apud Ovidium:

Cùm domus Auguſti CAPITOLI *more colenda*
Læta (quod eſt, & ſit!) plenaque pacis erit.

Cornelio etiam Tacito in I. Hiſtoriar. ubi cædes Galbæ deſcribitur: *Neque illos* (Othonianos) *Capitolii adſpectus, & imminentium Templorum Religio, & priores aut futuri Principes tenuêre, quo minus facerent ſcelus, cujus ultor eſt quiſquis ſucceſſit.* Mirum autem ſceleratos milites in adſpectu Capitolii à cæde viri innocentis non temperâſſe, cum M. Manlium ſervatorem Capitolinæ Arcis, ſed coram populo Regni adfectati reum damnare eatenus P. R. ſuſtinuerit, donec in

1 Lib. 10. 4 3. de Ponto.

Lucum Petilinum (unde in Capitolium illustre nimis gloriæ ſuæ monimentum, reſpectus non eſſet) perveniret. quam Hiſtoriam præter celebriores illos Livium libro VI. Plutarchum in Camillo, Auctorem de viris illuſtribus, Tzetzes [1] etiam Grammaticus exſequitur Politicis his verſibus.

Οὗτος ὁ ΜΑΡΚΟϹ ΜΑΛΙΟϹ, ὁ καὶ ΚΑΠΙΤΩΛΙΝΟϹ,
Ποτὲ καὶ αἰπάματι πεσὼν τῆς τυραννίδος,
Καὶ ψήφῳ μέλλων δικαστῶν ἁπάντων ἀναιρεῖσθαι,
Τὸ ΚΑΠΙΤΩΛΙΟΝ εὐθὺς ἐσώζετο βλεπόντων.
Οὗπερ αὐτὸς ἐποίησε κλειὰς ἀνδραγαθίας.
Εως ὁ λέγων καθ' αὐτοῦ νοήσας τὰς αἰτίας,
Πρὸς ἄλλο δικαστήριον τὴν σύγκλητον μετάγει,
Ὅθεν τὸ Καπιτώλιον οὐδόλως ἑωρᾶτο,
Ὡς γίνεσθαι ὑπόμνησις ἐκείνου τῶν τροπαίων.
Τότε καὶ κτείνουσιν αὐτόν.

Id eſt:

MAR-

[1] III. Hiſtor. Chil.

MARCUS *ille* MANLIUS, *qui &* CAPITOLINUS,
Olim subjectus quæstioni adfectati Regni,
Et judicum omnium calculo condemnandus,
Cùm Capitolium intuiti essent, absolvebatur:
Ubi ille inclutum virtutis suæ dederat specimen.
Sed hoc accusator ipsius cùm animadvertisset
Ad alterum Tribunal concionem abducit,
Unde Capitolium omnino videri non posset,
Nec commemoratio fieri ipsius Tropæorum.
Tunc morti illum tradunt.

Mirari autem satis Romanos non possum qui cùm in conspectu Capitolii Manlium damnare non possent, alio loco damnatum de Saxo Capitolii dejicere non dubitaverint: cum longè aliud sit mortis in quemquam sententiam ferre, quàm spectare morientem. subjecta enim oculis rei indignitas acrior multò intolerabiliorque videtur. Non desunt autem

1 Cap. 96.

tem viri docti qui in veteri Poëmatio apud Suetonium [1] in Augusto,

Cùm primùm istorum conduxit mensa choragum,
Sexque Deos vidit Mallia, sexque Deas.

Manlia legendum putent. eo sensu, quasi locus ille in quo cæna δωδεκάθεος præberetur, ad formam Capitolinæ Arcis effictus fuerit. *Arcem* autem ipsam non ineptè ab ejus adsertore *Manliam* potuisse vocari. quod inventum etsi ingeniosum & acutum est, mihi tamen necdum probatur.

1 Cap. 69.

CA-

CAPUT XLVII. ſive ultimum.

De CAPITOLIIS *aliarum Urbium* παρέπηγμα, *& Operis concluſio.* JOVIS CAPITOLINI *Corinthi & Antiochiæ Templum.* JUNO & MINERVA *etiam in Provinciis apud Jovem. De* Portis *Capitolii Romani* ἐν παρέργῳ. Colonia AElia Capitolina *Hadriani*, & Capitolia *aut* Capitoliada *Urbs : ambæ in Syriâ.*

Quia celeberrima Capitolii relligio; non Romæ ſolum, in principe illâ Orbis Urbe, ſed ejus etiam exemplo per omnes Provincias CAPITOLINI DI publicâ veneratione culti ſunt, & adorati. JOVIS enim CAPITOLINI (quem ΚΟΡΥΦΑΙΟΝ interpretatur Pauſanias, ut diximus) Templum Corinthi agnoſcit idem auctor in Corinthiacis. & alterum Antiochiæ ejuſdem nominis Livius à Perſeo Rege inchoatum. cujus magni-

gnificentia quia Romani noſtri par, aut ſupra illam futura videbatur, ſi perficeret, verbis Livianis exprimenda eſt. ſunt in libro Hiſtor. XLI: * *Sed & Delon* (Perſeus) *maris inſignibus ſtatuarumque copiâ exornavit. & Antiochiæ* JOVIS CAPITOLINI *magnificum Templum non laqueatum auro tantum, ſed & parietibus totis laminâ inauratum: & alia multa in aliis locis pollicitus, quia perbreve tempus regni ejus fuit, non perfecit.* ille ſcilicet Rex qui præter duas magnas honeſtaſque res, *Urbium Dona*, & *cultum Deorum*; viliſſimum alioqui Regem egit. Neque Juppiter ſolum TARPEJUS aut CAPITOLINUS, ſed (quemadmodum in Romano Capitolio) IUNONIS ei ac MINERVAE conſortium adjunctum. Teſtatur Eumenius Rhetor ubi de Scholis Menianis ad Capitolium aliquod Galliæ ſtructis: *Quis enim eſt melior uſus Eloquentiæ quam ubi ante Aras quodammodo ſuas Jovios Herculeoſque audiant prædicari*, IUPPITER *Pater &* MINERVA *ſocia, &* IUNO *placata?* Arnobius etiam libro IV. *Quis neſcit in Capitoliis omnibus virginaleis eſſe ſpecies Minervarum?* & Sidonius Apollinaris de Capitolio Toloſano, fortiſſimi Martyris D. Saturnini ſanguine conſperſo:

Quem

* Cap. 20. Sed erronee intelligit hæc de Perſeo.

Quem negatorem IOVIS *ac* MINERVAE
Et crucis CHRISTI *bona confitentem*,
Vinxit ad Tauri latus injugati
Plebs furibunda.

Hujuſmodi enim Templa Romano etiam nomine peregrè CAPITOLIA vocata: qualia in Coloniis aut Municipiis Italicis fuiſſe ſubnotavi.

In Coloniâ VERONA AUGUSTA ſtatuis exornatum, cujus meminit vetus Inſcriptio, quam fide Polycarpi Palermi I. C.ti adſcribimus:

HORTANTE. BEATITUDINE
TEMPORUM. DDD. NNN
GRATIANI. VALENTINIANI
ET. THEODOSII. AUGGG.
STATUAM. IN. CAPITOLIO
DIV. JACENTEM. IN
1 CEREBERRIMO. FORI
LOCO. CONSTITUI
JUSSIT. VAL. PALLADIUS
V. C. CONS. VENET. ET. HIST.

Cujus auguſtiſſimæ Coloniæ meminiſſe libenter ſoleo, quotiens magna illa & Romana verè pectora SAREGOS Comites, POLAS, COTTIOS fratres, NICHEZOLAS, FONTANAS recogito. quorum memoria quia pro

1 Sic.

pro eo, ac meretur, ſancta mihi ſemper, antiqua, & relligioſa erit, ſiquid fortunarum mearum anguſtia valeret non in hoc albo tantum papyri æquore, ſed Titulis marmoreis, apicibuſque auratis in Romano ipſo Capitolio, poſteritati ſpectandam, collocarem.

In Coloniâ CAPIDE aut CAPUANA, de quo Suetonius in actis TiberI: *Peragratâ* (inquit) *Campaniâ cùm Capuæ* CAPITOLIUM, *Nolæ Templum Auguſti* (*quam cauſſam profectionis prætenderat*) *dedicâſſet*. Ejuſdem inter fœda prodigia, de cœlo tacti meminit idem ſcriptor in Cajo, capite (ut vulgus notat) LVII.

In Colonia BENEVENTO CONCORDIA. de quo idem ſcriptor in Elogio Orbilii Grammatici: *Statua ejus Beneventi oſtenditur in Capitolio, ad ſiniſtrum latus, marmorea, habitu ſedentis ac palliati, appoſitis duobus ſcriniis.* Unde apparet hic quoque ſtatuas fuiſſe. Sed & *Nolam*, *Mediolanum*, *Florentiam* aut *Fluentiam* urbes habuiſſe olim ſua Capitolia, præter vocis ipſius adhuc vulgò notæ teſtimonium, commentator Sidonii Elias Vinetus Santo & politiſſimus Politianus epiſt. II. adnotârunt.

Extra Italiam præcipua iſta:

BA-

BABYLONICUM μεταφορικῶς ab Hieronymo [1] ſic vocatum, pro illius civitatis Arce, quemadmodùm *Cesbedium* in opido Selgenſiium, *Herodium*, Hieroſolymis, in urbe Trojâ, *Ilion*, & in illo Europæ oculo Gandavo, (ut multis viſum eſt) olim *Blandinium.*

KARTHAGINIENSE, cujus vates præcipuus in initio AEneidos, & ſanctiſſimus Martyr Cyprianus Epiſt. LV. & vetuſta Chriſtianorum Eccleſiæ concilia ſæpè mentionem faciunt.

AUGUSTODUNENSE in Galliâ. de quo teſtimonium laudati Rhetoris Eumenii in Panegyrico Præfecto Galliæ dicto: *Adhoc* [2] *V. P. opus iſtud reddit illuſtrius cum ipſorum Caſſ. tum etiam omnium hominum adſpectu promptius, quod præcipuo eſt loco poſitum, quaſi inter ipſos oculos civitatis inter Apollinis Templum atque Capitolium.* Vult Menianas inter Apollinis & Capitolium exſtructas, quemadmodum fere Templum Veſtæ Romæ medio inter Apollinem Palatinum, & Jovem Capitolinum intervallo, quamquam viri magni in hiſce litteris nominis Beatus Rhenanus & Stephanus Vinandus Pighius pro *Au-*

1 Comment. in Eſaiam.
2 Vir perfectiſſime.

Augustodunensium in dicto Panegyrico *Augustoclivienſium* legere maluerint. σωὼ τῇ forτaſſe ἀληθείᾳ. contra quos tamen CL. Lipſium diſputantem vide in Commentario ad Annalem III. Cornelian.

De TOLOSANO Capitolio ejuſdem Provinciæ jam memineramus è Sidonio, qui D. Saturninum Eloquentiæ Profeſſorem Toloſæ narrat

De gradu ſummo CAPITOLIORUM
Præcipitatum.

Cui addes (ſi placet) Venantium Fortunatum in Elogio ejuſdem Saturnini, lib. *de Miraculis & Certaminibus Piorum*, Martyrolog. Rom. ad diem III. Kal. ixbres. ἁγιοβιογράφους alios.

De NARBONENSI idem Sidonius in laudatione Narbonis Martii:

Salve NARBO *potens ſalubritate,*
Urbe & Rure ſimul bonus videri,
Muris, civibus, ambitu, tabernis,
Portis, Porticibus, Foro, Theatro,
Delubris, CAPITOLIIS, *Monetis,*
Thermis, Arcubus, Horreis, Macellis,
Pratis, Fontibus, Inſulis, Salinis,
Stagnis, Flumine, Merce, Ponte, Ponto.

Quæ liberaliùs adſcripſi ut hinc lectori meo liqueat in celebrioribus Romani Orbis Co-

loniis Romanæ quoque Urbis celebriora ædificia ſumptuoſiſſimis æmulationibus expreſſa. certè quale quantumque Narbonenſe Capitolium fuerit Auſonius Gallus alio metri genere teſtatus eſt:

Quodque tibi quondam Pario de marmore Templum
Tantæ molis erit, quantam non ſperneret olim
Tarquinius, Catuluſque iterùm poſtremus, & ille
Aurea qui ſtatuit Capitolî culmina Cæſar.

ergo Auſonî ætate non exſtabat. opinor; quia Chriſtianâ Relligione tum roboraſcente convulſum penitus & exciſum anteà fuerat.

Capitolium AUGUSTAE TREVIRORUM habent Acta SS. Martyrum Tyrii & ſociorum. quod in Eccleſiam Chriſtianorum jam olim mutatum ex iiſdem Actis Baronius notavit.

Simili majorum pietate quod in Coloniâ UBIA AGRIPPINENSI erat, expulsâ veteri δεισιδαιμονίᾳ, caſtiſſimæ, ſanctiſſimæ, potentiſſimæ cæli terræque Reginæ MARIAE datum, dicatum, conſecratumque eſt. de quo Capitolio, adjectiſque ei locis venuſtiſſimè ita

ita lusit quondam magni juvenis ingenii Janus Mellerius Palmerius:

Aspice ubi lenem scandunt CAPITOLIA *clivum*
Ille dumis stabat locus, & sine frugibus herbis.
Illhic quà spectare forum majusve minusve
Nunc datur, unda rates vento remoque ferebat.
Et dat iter plaustro via quæ dedit ante carinæ.

Elegantissimâ enim μιμήσει Romanæ etiam Urbis originem peregrè deformavit. *Dumos* enim in Tarpejo aut Saturnio monte ante Urbem conditam agnoscit Virgilius, & Tiberis in Velabro trajectum Ovidius, Propertius, aliique scriptores.

De VESONTIONENSI SEQUANORUM retulerunt mihi, qui viderunt, Arcuum Triumphalium præclara adhuc servare Monimenta, & tres Portas Marmoreas in planitiem descendentes. Arcis Romanæ scilicet Capitolinæ exemplo, è quâ (uti notavimus) varii variis è locis exitus in plana Urbis extendebantur. nam præter Portam Carmenta-

talem, quæ duo aut tres Janos haberet, juxta illud Ovidii,

> *Carmentis Portæ dextro via proxima Jano.*

Livium quoque lib. II. de ccc. Fabiis in bellum & lethum euntibus: *Infelici viâ à dextro Jano Portæ Carmentalis profecti ad Cremeram flumen perveniunt.* præter istam ergo Portam, clivumque ad Arcum Septimianum, & centum gradus Concordiæ, sive Monetæ, alterius Portæ marmoreæ, sub ruinis Jovis Feretrii repertæ, vestigia se conspexisse notat Marlianus Topograph. Urb. lib. II. cap. III. Sed & alteram patrum memoriâ conspectam ait in fundamentis ipsius Arcis, quà Theatrum Marcelli respiciebat: multis cum gradibus in ipsam Arcem tendentibus. quæ vera fuisse λείψανα Portæ illius crediderim per quam 1 cotannis stercus ex æde Vestæ, per Capitolium, in Tiberim deferretur: quæ proinde *stercoraria* nominata. quibus addere licebit quæ de Pandana vetustissima Porta M. Varro adfert in descriptione Saturnii Montis. *Antiquum opidum in hoc fuisse Saturniam scribitur. ejus vestigia etiamnum manent tria, quòd Saturni fa-*

1 17. Kal. Jul. Festus. Kal. Rom.

fanum, in faucibus: quod Saturnia porta, quam Junius scribit, quam nunc vocant Pandanam: quòd post AEdem Saturni in ædificiorum legibus parietes postici muri sunt scripti. Videtur hæc aditum aliquem fori occupasse, à qua Capitolii parte AEdes & Ara Vetus Saturni: siquid divinando adsequi licet, nam alioqui in tanta rerum nominumque confusione, in tam pauco veterum monimentorum subsidio, tamque parata ad exscindenda illa omnia Barbarie nihil ferè certius mihi est, quàm quid certò adfirmare debeam ignorare. Atque hæc in occasione de Portis Capitolinis. superest, ut quemadmodùm toto isto volumine varia veri vetustique κόμματος Numismata auctoritati nobis conciliandæ, scriptoque ornando è scriniis elegantissimorum hominum protulimus, ita reliquum [1] unum non omittamus, in quo COLONIAE. AELIAE. CAPITOLINAE, ab Hadriano Cæs. deductæ, inscriptionem legimus.

Ea

1 AEreum Diadumeniani.



1 Ea fuit Urbs ſacra Solymorum, Syriæ Metropolis, quam L. ferè annis poſt ejus exſcidium idem Imp. reſtituere aggreſſus, aut novam potius exſtruere, de ſuo nomine vocavit. Atque ita vocari illam videmus I. C.to in Tit. DD. *de Cenſibus.* Ptolemæo, in Syriæ deſcriptione, PP. Nicænis in Decretis Synodi, Paullo Oroſio, Zonaræ, aliis. Alia fuit CAPITOLIA aut CAPITOLIADA cavæ [2] Syriæ urbs Ptolemæo & Antonino, quod Ortelio adnotatum eſt. *Suvette* (ut quibuſdem placet) hodie appellata. nos in veteri quadam inſcriptione vidimus. DOMO KAPITOLIA.

Quæ

1 Dio Caſſius lib. 69. Oroſ. lib. 7. c. 13.
2 Quæ *Cœleſyria* & *Damaſcena.*

Quæ quidem omnia certissimè sanctissimeque nobis adfirmabunt CAPITOLIO ROMANO (è quo tanquam capite membra ista omnia dimanârunt) per totum terrarum orbem nihil, veterum opinione, sanctius, religiosius, celebratius extitisse.

FINIS.

IN-

INDEX CAPITUM COMMENTARII

hujus Capitolini.

CAP. I.

Roma ἑπτάλοφος, Septicollis, Septemgemina, Septimontium festus dies: ejusque Feriæ, & Strenæ. Montes olim Agones vocati, Agonalia, Salii Agonales. Porta Agonensis. Septem colles minores Romæ Quadratæ: Capitolium iis additum non videri, Septem alii Romæ magnæ. Pomœrium Urbanum, & varia ejus amplitudo. Cæsar an Pomœrium extenderit? de Nerone, Vespasiano, Trajano item dubitatum. Plinius à censurâ Viri Magni vindicatus.

CAP. II.

Mons Capitolinus olim Saturnius. Saturnia Italiæ & Siciliæ. Italia dicta olim Saturnia. Saturnia civitas sive castrum. Saxum Carmentis. veteres & recentiores ejus Montis habitatores. Tatienses vel Titienses. Ramnes vel Ramnenses: Luceres unde dicti. Collegium Capitolinorum. Habitatio honoris caussâ in Capitolio nonnunquàm data. Num & civibus reliquis illhic habitare permissum?

V CAP.

CAP. III.

CAP. IV.

CAP. V.

CAP. VI.

Arces unde ſic dictæ: earumque Sanctitas apud priſcos. qui Tutulati. quid Tutulus: Templa Deorum Tutelarium potiſſimum in Arce. Arx Jovis. Jani Gulielmi in Cicerone emendatio confirmata. Cæſ. Scaligeri in Papirio rejecta. Sancta leges, Sancti Muri, ac Portæ Urbium.

CAP. VII.

Montis Capitolini ſitus, figura, dimenſio, altitudo. quæ ædificia tam in Arce quàm Capitolio olim fuerint. Regiæ quæ ſint in Statio & Suetonio. Statius cum Notitiâ Imperii, & Ammianus fortè etiam emendati. Capitolium altiſſimus Urbis locus. Sillius & Calpurnius Eclogarius explicati.

CAP. VIII.

Vetus P. R. Relligio. Capitolium hinc duplex, Pompilianum, & Tarquinianum: Vetus illud, Novum hoc appellatum. Quis Vetus apud Martialem, Antiquus apud Propertium Juppiter? Vitruvius in re difficili certò emendatus. Servi, Euſebi, Cedreni, aliorum error, & Plutarchi à Dyonyſio diſſenſus indicatus.

CAP. IX.

CAP. X.

CAP. XI.

ria, ejusque direptiones. Instauratum à L. Sullâ, Vespasiano, Domitiano, & Theodorico Rege. Ritus Instaurationis. Honorifica nominis in Templis Inscriptio, Dio Cassius, Vinetus, aliique notati.

CAP. XII.

Molem Capitolinam quandoque Delubrum, aliàs AEdem, aut Templum vocari. discrimen inter ista breviter notatum. Templa ferè quadrata. Capitolium Quadrum: ejus forma è Numis & ingenio quæsita. Structuram videri Doricam fuisse. Porticus à fronte & latere adpositæ. De crepidine ejus aut suggestu, altitudine, ambitu, situ, magnitudine multa noviter dicta, quæ Columnæ Pentelicæ, aut Pentelesiæ.

CAP. XIII.

Tres in Templo Capitolino cællæ, eæ σηκοὶ, AEdes, Templa, Delubra aliter vocatæ. JUPPITER, JUNO, MINERVA quare simul in Capitolio culti? idque etiam in Provinciis servatum? quid Aquila, in Templis. quid *ἀετὸς*, *ἀέτωμα*, *πτέρυξ*, *στέγασμα*, *γεισοπόδες* & *γεισοποδίσματα*, è Græcis Grammaticis, explicatum.

CAP. XIV.

AEdiculæ TERMINI & JUVENTATIS ambitu Templi contentæ, illius ὕπαιθρα, aut ſubdialis, hæc cællæ dexteræ incluſa. Juppiter ὅρι☉. Termini ſacra. Terminalia unde dicta. βαίτυλ☉. Termini è lapide & ſtipite. Juventus & Juventas quî differant, item Juventa, & Juvenilitas. Dea Hora, Hebe. Juventatis ſacra. Ludi Juvenalium. An etiam Mars in Capitolio cultus?

CAP. XV.

Faſtigium in Templis quid ſit. ornari ſolitum ſignis, clupeis, cælaturâ, inauratione. Quadrigæ fictiles Summani olim in Capitolio: poſtmodùm in æreas, aut argenteas inauratas mutatæ. quis ille Summanus? Quadrigæ albæ Jovi ſacræ. Clupea unde ſic dicta: ea duplicia, Votiva, aut Honoraria. unde Faſtigia Plaſtica. Plinius emendatus. Templum cum hujuſmodi ornatu è veteri gemmâ.

CAP. XVI.

Laquearia in Capitolio deaurata & ſculpta. Veterum querela de ambitioſâ illa Magnificentiâ. Tegulæ æreæ ibidem Catulianæ,

næ, auro inductæ: inde Capitolia aurea, aurata, micantia, fulgentia, fulva appellata. Domitiani incredibilis in hanc deaurationem sumptus. in Christianorum Ecclesiis idem usurpatum.

CAP. XVII.

Limina ænea ibidem, & fortè etiam trabes. Locus Virgilii examinatus: verba Servii notata. Fores cælatura & laminis aureis obtectæ: variaque illarum materia. De cælaturis Virgilii & Propertii loci allati. Pavimentorum alia alibi genera, sed in Capitolio scalpturatum.

CAP. XVIII.

Fictilis Juppiter primùm in media cælla positus, inde nominatus & miniari solitus. Hercules Materiarius. Juppiter Minianus. DI etiam alibi miniati, & AEthiopum Proceres ac Triumphantes. Deinde Eburneum videri Jovem fuisse, postremò Aureum. PlinI, Martialis, ServI, & aliorum sententiæ examinatæ. Quis Juppiter lapis, & unde per eum jurari cœptum?

CAP. XIX.

JOVIS CAPITOLINI insignia, sive κόσμος,

CAP. XX.

CAP. XXI.

lata. De Auro primum dictum: ejus quanta vis in Capitolio dicata. id Triumphale aut Votivum potissimùm fuisse; aliquando Coronarium aut Fideicommissum : expilatum à variis, aut mutuò sumptum. Diversæ de auro Gallico sententiæ. quid sit in Prudentio, Placare Delubra. corvi & mures aurum adroserunt. χρυσὸς ἄφθαρτος. idque è Sapphô Poëtria probatum.

CAP. XXII.

Anulorum & Gemmarum apud veteres luxuria. Dei anulati. Dactylotheca Mithradatis Jovi sacrata. Augusti & Augustæ in Capitolium munificentia. Crystalli pretium. Pocula murrhina Triumphi Pompejani. Vasa argentea Mentoris: Amphoræ, Canthari, Pateræ aureæ Camilli. Candelabrum gemmatum Regum Syriæ. περπλὴ, sive Vitis aurea Aristobuli. Capitolium etiam ab exteris ornatum.

CAP. XXIII.

Occasione superioris Capitis de subobscuro LivI loco quæsitum. Videri aliam in cælla Jovis AEdiculam fuisse Antiquariis omissam: Victoriæ forsitan. Victoria aurea Hieronis, summæ in Templo dignitatis. aliæ

CAP. XXIV.

CAP. XXV.

te æneo hodierno Capitolii quæſitum. Coloſſi Auguſti, Neronis, Commodi, Solis. Sacellum Jovis ad Coloſſum : illuſtris Claudiani locus explicatus : alter LivI emendatus. Subſtructiones Capitolinæ.

CAP. XXVI.

De Statuis & ſignis Humanis dictum. Diverſa horum materia & forma. Regum Statuæ ſine tunicis. Statuæ Togatæ quæ? PHILIPPI RUBENI V. C. mors deplorata. Inter Reges Statua L. Bruti & Cæſaris. Honos Imaginis in cella Iovis quibus olim permiſſus. AEneæ, Deauratæ, Aureæ, & Argenteæ Statuæ Impp. Aliæ Virorum Triumphalium juxta Templum. Turma Inauratarum Equeſtrium. Cenſores & Pontifices nimia ſigna interdum amoliti. Cicero & Trebellius explicati : vulgata apud Nonium lectio defenſa.

CAP. XXVII.

Signorum παραλειπόμενα, ut AEdilitia de mulctis. Canis AEreus. Ephœbus cum Rutro. Centaurus κεραυνοπλήξ. Anſer Argenteus. quid Rutrum, σκαφεῖον, σκαπάνη, παρορύττειν. Varro apud Nonium forſan correctus.

CAP. XXIIX.

Militaria ἀναθήματα, Torques, signa, aliaque insignia hosti detracta, & arma omnis generis: quibus in re trepida nonnunquam usi. Tropæa aurea C. FlaminI & MarI: ab hoc capita etiam Proscriptorum Iovi oblata, quemamodùm à Principibus aliis Arma conjuratorum. Propertius explicatus.

CAP. XXIX.

Tabulæ etiam pictæ in Capitolii ornatu: eæ ferè Triumphales, aut ab hostibus captæ. L. MummI Tabula Achaïca, & M. FulvI præda Ambraciensis. Mos Templa pingendi in Italia & Græca antiquissimus, idque ferè bellorum monimentis. Romæ publica multa sic etiam ornata. ποικίλη Atheniensium. Tituli Victoriarum picturis adjuncti Saturnio versu. Similes è Livio aliisque Tituli allati. Tabulæ Honorum ad pedes Iovis depositæ, aureis litteris conscriptæ. Annales Maximi.

CAP. XXX.

De Tabulis æreis aliquid interpositum, quarum magnus in Capitolio numerus. Mos

eas

eas in Curia aut Templis ponendi: tandem in AErario. Tabularium Capitolinum; Palatinum, aliaque P. R. Quid AEra figere aut refigere. olim varia Tabularum materia. Earum in Capitolio Series atque ordo. Exempla duarum prolata. Leges Sacratæ quæ?

CAP. XXXI.

Coronæ Aureæ Capitolinæ multæ, & magni ponderis. Mos & caussa eas dicandi. Ducum quorundam heic ostentatio. Petillius de Coronâ subreptâ postulatus. Custodes Capitolii, & Tutellæ ejus Redemptores. Diadema Cæsaris in Capitolium missum. Ridicula Marliani negligentia.

CAP. XXXII.

Iovi tamquam Regi Purpura dicata, & Vestes aliæ pretiosæ. quid Sandyx in Virgilio & Vopisco? Donariorum sumptuositas à platone, Alexandro Severo, & Lactantio reprehensa. LipsI emendatiuncula rejecta. Epitheton Inane fere mortuorum esse.]

CAP. XXXIII.

De Columnis Rostratis aliquid dictum:

CAP.

CAP. XXXVI.

Aræ Capitolinæ DIs & Principibus erectæ. adulatio circa illas, maximè oppressa R. P. Aræ Votivæ in periculis, aut nova relligione. ΘΕΟΥ ΠΡΩΤΟΓΟΝΟΥ ab Augusto erecta. Discrimen Aræ & Altaris è veteri Jure Pontificio observatum. Podia circa Templa.

CAP. XXXVII.

Quid Atrium Publicum in Capitolio? Atriorum ἔτυμον. Delubrum alio sensu, Favissæ, vel Flavissæ. Thesauri, ὀμφαλόν. Aquæ Marcia & Tepula in Templum ductæ: earum Fistulæ aliquando intercisæ. Ritus aquæ usurpandæ in Sacris apud Romanos, Græcos, Etruscos, Hebræos. Aquiminarium, Amula.

CAP. XXXVIII.

De Origine Horologiorum apud Romanos, & Solario primo. quidam in Capitolio id statutum volunt, alii aliis in locis. Turnebi in M. Tullio & Varrone lectiones probatæ. locus Plauti examinatus. Horologia etiam in Foro, Templis, Basilicis, & ad Rostra. ibi conciones frequenter habitæ, & judicia minora exercita.

CAP.

CAP. XXXIX.

DI Consentes apud Ennium. Iuppiter Feretrius, ejusque Origo. Juppiter Fidei-Sponsor, & interpretum DionysI error. AEdes duæ aliæ Iovis, AEdes Iovis Tonantis ab Augusto, Iovis Custodis à Domitiano, earumque Ornamenta. Templum Martis Bisultoris, ejusque ab Ultore discrimen.

CAP. XL.

De Asylo Romuli & Lucis, sive Intermontio duorum quercetorum. Asylorum jus unde natum, & Luceres unde dicti. AEdes Væjovis & simulacrum cupressinum. quale Numinis hujus nomen. Iuppiter ἄξυρος, puer, nondum barbatus. In occasione de Templo, & AErario Saturni nove quædam adserta.

CAP. XLI.

Ad Muliebres Relligiones transitum. Iunonem inprimis Monetam, quæ & Regina nonnullis. hujus ædes in Arce, & ratio nominis investigata. illam videri duplicem fuisse. Arx Monetæ. Sulpicia Poëtria castigata. Μνημοσύνη, Memoria, Minerva

Me-

Memor, Isis Moneta, Meminerva. Moneta, pro officinâ Monetariâ. Apollo Monetalis. AEdes Opis à quo posita. Templa duo Veneris Calvæ. AEdes Erycinæ, quæ & Venus Capitolina. Isis, Sarapis, Harpocrates variè exclusi aut recepti. Specus Mithræ. in P. Victore conjectura.

CAP. XLII.

Virtutes etiam in Capitolio cultæ, FIDES, MENS, CONCORDIA. duo hujus Templa ibi observata, unum in clivo, alterum in Arce. Senatulum Aureum. Statua Concordiæ Augusti, aliæque in Templorum ornamentis FIDES candida, alba, nivea, cana. Servius & Robortellius notati. Solemne sacrum. Glossema è Livio sublatum. Plinii circa Deos ἐπικερτομός.

CAP. XLIII.

FORTUNA Dea. varia ejus Romæ cognomenta. Fortunæ Primigenia & Obsequens in Capitolio. illius Templum aliud in Quirinali, & sortes Præneste. Plautus bis leviter correctus. Vetus Scholiastes Juvenalis notatus. De AEde Herculis & Dianæ Capitolinæ quæsitum. Nemesis etiam Fortuna, ejus Templum in Capitolio, & religio.

mula Fætialium, Salva Urbe atque Arce, quæ nunc fusiùs explicata. Manlius à Capitolii conspectu ampliatus. Arx Manlia. Vetus Epigramma in Suetonio discussum.

CAP, XLVII.

De CAPITOLIIS aliarum Urbium παρέπτυγμα, & Operis Conclusio. JOVIS CAPITOLINI Corinthi & Antiochiæ Templum. JUNO & MINERVA, etiam in Provinciis, apud Iovem. De Portis Capitolii Romani. Colonia AElia Capitolina Hadriani; & Capitolia, aut Capitoliada Urbs: ambæ in Syria.

AUTORES
Qui nobis sparsim laudati, correcti, explicati.
Ex Antiquioribus.

A.

Accius Poëta.
Acta SS. Martyrum.
Agellius.
Agrætius Grammaticus.
Albericus.
Albertus Crantzius.
Ammianus Marcellinus.
D. Ambrosius.
Antistius Labeo.
Appulejus.
Appianus.
Apollonius Collatius.
Arellius Fuscus, Rhetor.
Aristides Milesius.
Aristoteles.
Aristophanes.
Arnobius.
Artemidorus.
Asconius Pædianus.
Attilius Fortunatianus.
Auctor Originis Gentis Romanæ.
Auctor vitæ Martiani Capellæ.
Augustus Cæs.
D. Augustinus.
Sext. Aurelius Victor.
Ausonius.

B.

Bæbius Macer.
Biblia sacra.

C.

Cæsar Dictator.
Cæstius Pius, Rhetor.
Cæcilius Balbus.
Cæcilius Comicus.
Calpurnius Eclogarius.
Calpurnius Flaccus, Rhetor.
Calpurnius Piso.
Callimachus.
Cassiodorus.
Cassius Hæmina.
M. Cato.
Cedrenus.
Censorinus.
Cicero.
Cincius.
Claudius Aug.
Claudianus.
Clemens Alexandrinus.
Codex Theodosianus.
Columella.
Concilia Varia.
Cornelius Hispanus, Rhetor.
Cornelius Fronto, Grammaticus.
Cornelius Nepos.
Cornelius Tacitus.
Cornificius Grammaticus.
Ctesibius.
Q. Curtius Rufus.
D. Cyprianus.

D. Dio

INDEX AUTHORUM.

E Recen-

E Recentioribus.

A.

Abrahamus Ortelius.
Adrianus Junius.
Adrianus Scrieckius.
Adrianus Turnebus.
Æmilius Portus.
Aldus Manutius Paulli F.
Andreas Fulvius.
Angelus Politianus.
Antonius Auguſtinus.

B.

Baronius Cardinalis.
Bartholomæus Marlianus.
Beatus Rhenanus.
Bonaventura Vulcanius.

C.

Carolus Paſchalius I. C.
Carolus Sigonius.
Caſparius Gevartius.

D.

Dionyſius Gothofredus I. C.
Dionyſius Lambinus.
Dionyſius Villerius.

E.

Elias Vinetus Santo.

F.

Flavius Blondus.
Franciſcus Juretus.
Franciſcus Rorbortellius.
Fulvius Urſinus.

G.

Gaſpar Sciopplus
Gulielmus Choulius.
Gulielmus Fabricius.
Gulielmus Philander.

H.

Hubertus Goltzius.

I.

Iacobus Dalechampius.
Iacobus Gutherius. I.C.
Iacobus Rævardus I.C.
Iacobus Strada.
Ianus Gruterus.
Ianus Gulielmius.
Ianus Mellerius Palmerius.
Ianus Parrhaſius.
Ioachimus Camerarius.
Ioannes Baptiſta Pius.
Ioannes Brodæus.
Ioannes Savaro I. C.
Ioannes Stadius, avus meus.
Ioſephus Scaliger.
Iſaacus Caſaubonus.
Iulius Cæſ. Scaliger.
Iuſt. Lipſius.

L.

Lævinus Torrentius.
Lapus, Plutarchi & Dionyſii Interpres.
Lilius Gyraldus.
Ludovicus Carrio.

M.

Martinus Smetius.
M. Antonius Muretus.

N. Nico-

E RECENTIORIBUS.

N.

Nicolaus Leonicus Thomæus.

O.

Obertus Gifanius.
Onuphrius Panvinius.

P.

Palladius Architectus.
Petrus Ciacconius.
Petrus Faber I. C.
Petrus Pythœus I. C.
Petrus Victorius.
Philippus Beroaldus.
Philippus Rubenius I. C.
Poggius Florentinus.
Polycarpus Palermus I. C.
Pomponius Lætus.
Pyrrhus Ligorius.

S.

Stephanus Vinandus Pighius.

W.

Wolfgangus Lazius.

F I N I S.

RESIDUA

Ad templum Capitolinum & hoc ſcriptum.

Optandum foret, hodie Gandavo, ingeniorum ſatis feraci nuper urbi, innaſci & in ea vivere cives ſimiles huic Juſto Rycquio, qui præclaro mentis cultu & patriam & ſeſe non minus quam literatum orbem expolirent. Neque enim pænitenda cum laude provenit inde hic libellus, quamplurimis quidem ille ornamentis dives, & ſi nihil aliud, certe in quo primum excitata ſunt omnia iſta loca, quibus pugnant tam Alexander Donatus, quam Nardinius. Sed vel maxime eminens ipſa argumenti altitudine, cujus præcipua opera conſiſtit in conſpectu & notitia templi, quod Jovi & συνναόις Numinibus Romæ fuit erectum. Sed quondam. Nunc enim ita paulatim id eſt everſum, ut minus nihilo ſuperſit. Non tamen quibus curæ talia cognoſcere, penitus infelices ſumus. Poſteritatem non ita deſtituit antiquitas, ut non

optate jucundeque id descriptum ad nos pervenerit. Etiam viri docti non omiserunt sedulo omnes ubicunque angulos scrutari, & quidquid huc pertineret, studiose anxieque conquirere & arcessere. Hinc quum Rycquiani operis multas paginas hic illic tetigerim, placet quoque primariam Capitolini montis partem, immo ipsum verum Capitolium, Jovis templum, ex cujus fundamentis rutro motis primum id nomen exstitisse creditum, & quo inchoato potuit urbem suppositam libertas intrare, res ante ne cogitata quidem, paulo attentius speculari; ut duntaxat caveam, ne lector ultra frustratui habeatur, quo tamen circumscribi videtur, dum locum Dionysii Halicarnassei pag. 117 allegatum certa & una & solida intelligentia deficit, non ex libro III petitum, ut indicabat ipse Rycquius, vel sub Rycquio typographorum officina, tum illic, tum pag. 87, ubi notavi; sed quarto libro, quum in libro III cap. 84 initia prima attribuantur Prisco Tarquinio.

Dicitur itaque ὀκτάπλεθρος τὴν περίοδον, διακοσίων ποδῶν ἔγγιστα τὴν πλευρὰν ἔχων ἑκάστην. Itaque non rotundum id fuit, ut Vestale ab Numa ad similitudinem universi fabricata; sed prout mundum quadrifariam des-

deſcriptum & quadripartitum ſtatuebant, vere πλίνθιον, prout notum eſt ab Plutarcho appellatas regiones lituo deſignatas ad quatuor latera, eaque templa nominata; ſed prout Iovem bellicum & victoriæ potentem, prout manubias, quæ ſumptum præſtabant, decebat; ſed veterum caſtrorum inſtar, ſpatio ſolo amplius; quippe quæ etiam progreſſo reipubl. tempore, occupabant τετράγωνον τόπον . . . τοῦ τὸ ἐμβαδὸν γίνεσθαι τετράπλεθρον, ut tradunt verba Polybii VI, 25. Sed & quod ab Dionyſio additur, ὀλίγον δ' ἔτι τὸ διαλλάττον εὕροι τις ἂν τῆς ὑπεροχῆς τοῦ μήκους παρὰ τὸ πλάτος, illud ipſum quoque contingebat Romanis caſtris, quoties juncti agerent duo conſules & eorum exercitus; tunc enim συνέβη γίνεσθαι τὸ σχῆμα παραμήκες, τὸ δὲ χωρίον διπλάσιον τοῦ πρόσθεν, τὴν δὲ περίμετρον ἡμιόλιον, eodem ſcilicet ſchemate, quo apud Arabas Sabii inter varia ſacella, quæ ſatis mirifica diverſis figuris commenti fuerunt, etiam Martis ſacellum quadrangulum oblongum finxiſſe teſtatur Pokockius ad Albufaragium.

Itaque & quod τὸ κατὰ πρόσωπον μέρος in templo deſignat Dionyſius, ſimiliter in caſtris Polybius habet ſuam ἐπιφάνειαν ἣ νοείσθω καὶ καλείσθω τοῦ παντὸς σχήματος κατὰ

πρόσωπον. Id vero πρὸς μεσημβρίαν ἔβλεπε, contra morem communem templorum, teſtante ad antrum Nympharum Porphyrio, ὡς ἂν σχεδὸν πάντων τῶν ἱερῶν τὰ μὲν ἀγάλματα καὶ τὰς εἰσόδους ἐχόντων πρὸς ἀνατολὰς τετραμμένας, τῶν δὲ εἰσιόντων πρὸς δύσιν ἀφορώντων, ὅταν ἀντιπρόσωποι τῶν ἀγαλμάτων ἑστῶτες, τοῖς θεοῖς τιμὰς καὶ θεραπείας προσάγουσι. Hanc legem Tarquinius neglexit, frontemque contulit verſus meridiem. Hujus ego rei duas video cauſas, quæ potuerint id exegiſſe. Ipſa ſcilicet loci conditio, ut ſic frontiſpicium ejus eſſet expoſitum ſpectantibus in Capitolina area; atque adeo, quum via, qua in Capitolium, hoc eſt, Capitolinam aream ex foro adſcenditur (fuiſſe enim illam patet ex Liviana citatione apud Rycquium cap. 6.) iſtuc adſcendiſſent, gradibus deinde ad dextram ſtructis porro ſcandentes anticam templi partem recta intrarent. Vel fuit religio ſecretior & augurii diſciplina interior, ut eſſet vere templum Iovis altitonantis, quod Nævius Varrone teſte depingit, *Hoc ubi æthra cærula ſeptum ſtat hemisphærium; ejuſque templi partes quatuor, ſiniſtra ab oriente, dextra ab occaſu, antica ad meridiem, poſtica ad ſeptentrionem.* Quinimmo & Attus Navius, in

in prima ætate ſubulcus, quum perditam ſuem recuperaviſſet, voti reus, quo uvam, quæ maxima eſſet in vinea, oblaturum ſe conceperat, ad iſtam inveniendam, ſpectans meridiem inque vinea media conſiſtens in quatuor partes eam diviſit, cumque ab avibus tres abdictæ eſſent, quarta parte, quæ erat reliqua in regione diſtributa, mirabili magnitudine uvam invenit, ut ſcriptum fuiſſe teſtatur Cicero lib. 1 de Divin. cap. 17. Itaque & ipſum Nympharum antrum Porphyrius ſcribit Homero δίθυρον fingi, τ̃ μὲν ἡνων ἀνθρώποις εἰς κατάβασιν πεποιημένων, τ̃ δ' αὖ πάλιν Θεοῖς. καὶ ὅτι αἱ μὲν ἀνθρώποις πορβάσιμοι πρὸς βορρᾶν ἄνεμον τετράφθαι λέγονται· αἱ δὲ τοῖς θεοῖς πρὸς νότον.

Longitudo illi adſignata ab Dionyſio fere acceſſit ad templum Iovis Olympiacum, etiam ex largis manubiis primam originem ducens perinde ut Romanum; quam ad πόδας τριάκοντά τε καὶ διακοσίους acceſſiſſe ſcribit Pauſanias in Eliacis, quum latitudo ejus pateret πέντε καὶ ἐνενήκοντα longe minor hoc Capitolino; quod nemo miretur, ſi conſideret ſolius Iovis in Græcia rationem habitam eſſe, quum Tarquinius trium Numinum eorumque maximorum σηκοὺς, ipſis Numinibus ſpatio dignos, mente agitaret. Altitudinem prorſus

ſus ſupprimit Dionyſius, quum in Olympiaco ab Pauſania memoretur ὕψος αὐτὸ τοῦτο ἐς τὸν ἀετὸν ἀνῆκον ὀκτὼ πόδας καὶ ἑξήκοντα, hoc eſt, ipſum ſummum culmen, non ad parietum modo verticem ac trigonum, ſed ad ipſam aquilam, in cujus formam deſinebat ipſius tecti altiſſima ſummitas, ut ita videas, unde etiam in Capitolino ab Tacito recenſeantur aquilæ ſuſtinentes faſtigium, & forſan unde venerint. Dionyſius, ut puto, veritus & cunctatus fuit eam tangere, quia in hac re nec æquabat Olympiacum, nec reliquæ forſan ſuæ amplitudini reſpondebat. Attamen quum Tacitus eam in Capitolio Veſpaſiani annotaret, Lipſius quoque eam prætergredi inobſervatam noluit, ideoque eam colligit pedum ducentorum, eamque eſſe, quæ minima eſſe potuerit ſicut in Pantheo Agrippæ par item latitudo & altitudo. Quod miror: quum clare ex hoc loco Pauſaniæ deberet eam magis arctare & deprimere; & utique ex Taciti loco diſcimus ei templo, quod vidit Dionyſius, defuiſſe hujus partis æquam magnificentiam; ac propterea altitudinem ædibus adjectam. *AEdibus* ait Tacitus, non *ædi*, ut paſſim tamen ſolet; ſignificans & univerſæ magni templi fabricæ & interioribus

bus σηκοῖς pro æquitate altitudinem auctam. Pergit Dionysius ἐν αὐτῷ τρεῖς ἔνεισι σηκοὶ παράλληλοι, ad singulare prorsus rei militaris, maritimæ aut terrestris, imitamentum petito vocabulo, in qua & Machanidas τοὺς μισθοφόρους ἐξ ἑκατέρου τοῦ μέρους τῆς πρωτοπορείας παραλλήλους ἄγων describitur ab Polybio XI, 9. & Romani consules τὰς μὲν ἑξήρεις δύο οὔσας πρώτας ἐν μετώπῳ παραλλήλους ἔταξαν apud eundem lib. I cap. 26. Et similia apud illum passim. Sic enim interpretor hanc παραλληλίαν τῶν σηκῶν considerari inter sese ac mutuo appositam, non ut eorum linea intelligatur παράλληλος vel τῷ μετώπῳ vel parieti τῷ ὄπισθεν. Sic igitur significat hoc templum fuisse simile illi, quo in Salamine Cypria scribitur extitisse ὑφ' ἕνα περίβολον ὅ τε τῆς Ἀθηνᾶς νεὼς, καὶ ὁ τῆς Ἀγραύλου, καὶ Διομήδους. Sed etiam Piræeo Iupiter habuit commune τέμενος cum sua Ἀθηνᾷ, ut est ex Pausania apud Meursium cap. 7.

Et hæc quidem patere possunt quoque aliis. Sequentia moram faciunt, Κοινὰς ἔχοντες πλευράς. Hæc enim quum sint affatim simplicia, vix credibile est potuisse in eis hæsitare Lipsium, ut quum libro II de Magnitud. Rom. cap. 5 interpretatus esset *a lateribus communione parietum clausa*,

in ipſo ſermone repetat *cellas iſtas a lateribus communi pariete clauſas.* Quorum nec alterum cum altero conſentit, nec quidquam in Græcis de pariete aut parietibus. Et quæſo cur voluit hanc interrogationem formare, [ut nullum diſcrimen aut interpoſitio parietum fuerit?] quam manifeſte rejiciunt & abigunt Dionyſii verba. Multo magis indecorum, quod affirmare ſuſtinet *imo opinor fuiſſe.* Cur enim opinatur, quod omnino videt negari? Poſt talem pervicaciam denique ad ſe redit, additque veriſſime [aut certe columnarum & ſacelli atque ædiculæ ſpeciem ſingulas habuiſſe] Nec ſane placere poteſt Rycquius, dum vel fatetur heic non immerito ita quærere Lipſium, vel Dionyſium cenſet ſcripſiſſe ambiguo & intricato nimis ſenſu.

Sed neque felicior eſt Alexander Donatus; quippe quum primo retuliſſet lib. 11 cap. 4 pag. 113. *tres cellæ communibus quidem junctæ parietibus, verum diverſæ inter ſe, & ab extimo Templi muro diviſæ* (omnia longe remota illa ab Græcis) movet mox & ipſe quæſtionem [Quoniam ergo tres cellæ inter ſe diſtinctæ fuerunt, num communi Templi pariete clauſæ illique adfixæ? quod ſenſit Lipſius.] Et additur reſponſio. [Equidem

dem potius a Templi pariete ſecretas dixerim.] Primo quidem hæc quæſtio fruſtra ponitur: neque enim dubium prius. Quid enim certius eſt, quam clauſas fuiſſe communi templi pariete; ſive id ab lateribus intélligatur, ſive ab poſtico. Utique templum Capitolinum & undique concluſum fuit, etiam in tecto nihil aliud habuit patens, niſi ubi Terminus reſpuens quidquam ſupra ſe habere præter cælum, requirebat aliquid in ſupremo apertum. Lipſium adfixas quoque ibi ſenſiſſe nullus video. Si id refert ad verba Lipſii, quibus ſcribit forſan aliquem cenſere ædiculas iſtas fuiſſe nonniſi cava quædam in ipſo pariete ad ſtatuas illocandas: utique & illis negat clare Lipſius ſe accedere. Porro quod ait ac fatetur Donatus potius ſe dicturum a Templi pariete ſecretas fuiſſe has tres cellas, cauſâ expreſſâ, quia pertineat ad decorem ornatumque templi cellarumque majeſtatem, ut libero undique tranſitu trium Deorum delubra in medio relinquerentur; a muro quidem totius Templi ſecreta, communibus autem parietibus inter ſe conjuncta, & quaſi id teſtetur Dionyſius, omnia ſunt immenſarum fruſtrationum refertiſſima. Decor, ornatus, majeſtaſque templi poteſt ab Donato exigi

ad ipſius ſententiam, ſi hodie exſtrueret ædem. Quum vero agatur de vetuſto templo, non fingi in eo debent multa, ſed prout id deſcriptum palam reperimus, ita ſtatuendum de eo eſt: omniaque ad tempus, quo exſtructum eſt, & ad voces, quibus deſcriptum eſt, referri & exigi debent. Nam ad videndum, quam fruſtra omne id dictum fuerit, ne diu vagemur, en clariſſimum Praxiteliæ Veneris ſimulacrum, ob quod ridebat illa felix extremæ Aſiæ Cherſoneſus, nec minus frequenter peti ſolebat peninſula Cnidus, quam ob Cupidinem ſuum Theſpiæ. Ex qua conſuetudine quum Lucianus cum ſuis quoque illuc appelleret, ſcribit. εἴσω τοῦ νεὼ παρῄειμεν: & quum anteriora ſimulacri ſpectata ab illis fuiſſent non ſine ſtupore, pergit. ἔστι δὲ ἀμφίθυρος ὁ νεώς, καὶ τοῖς θέλουσι τὴν θεὸν ἰδεῖν ἀκριβῶς καὶ κατὰ νώτου, ἵνα μηδὲν αὐτῆς ἀθαύμαστον ᾖ. Δι' εὐμαρείας οὖν ἐστι τῇ ἑτέρᾳ πύλῃ παρελθοῦσι τὴν ὄπισθεν εὐμορφίαν διαθρῆσαι. Δόξαν οὖν ὅλην τὴν θεὸν ἰδεῖν, εἰς τὸ κατόπιν τοῦ σηκοῦ περιήλθομεν. Εἶτ' ἀνοιγείσης τῆς θύρας ὑπὸ τοῦ κλειδοφύλακα εἶναι πεπιστευμένου γυναίου, θάμβος αἰφνίδιον ἡμᾶς εἶχε τοῦ κάλλους. Habemus νεὼ, habemus in eo σηκὸν, habemus potentem & ubique cultam ac creditam Deam, ha-

habemus prælustre & pernobile simulacrum; sic omnibus constitutis, ut σηκὸς ille circuiri ab lateribus non possit, & id quidem illic, ubi vel maxime merebatur; quum & in lateribus spectari deberet æquabilitas universi & partium omnium & non minus illic perita opificis manus. Interim optime interpretatur Dionysium *tres cellæ pares sunt communia habentes latera.*

Itaque pressius insistit Dionysii verbis Nardinius, & procul dubio inde rem peritia majore complexus. Sed & is tamen perquam durus est, dum dicit *essendo contenute da lati comuni*, perinde ut Latina ab eo citata *tres ædes pares communibus continentur lateribus*, nec aliter Pigius in Annalibus, in quibus sequuntur nescio cur Latinum Dionysii interpretem, quum certe justius dicatur contineri in anteriori & postica parte, ubi certi fines sunt determinati. Dionysius dicit percommode *habentes latera communia. Contineri* quum significat Dionysius, habet suum justum verbum συμπεριληφθῆναι. Magis tamen in Nardinii intelligentia hæreat, quisquis legat ea, quæ istas voces sequuntur: *ove non di soli lati comuni fra esse, ma e de'lati del Tempio comuni a tutte è senso piu piano.* Nihil omnino latera templi com-

munia ad voces aut mentem Dionysii; nec si talia cogites, ideo sensus erit planior. Immo planior est simplicitas Dionysii, nihil nisi intervalla, nullis vel lapideis vel ligneis muris separata, sed communia apertaque statuentis. Sed neque verum est, quod sequitur, Livium declarare *il muro di fuori esser di Minerva; quando parla del chiodo, che fuori del tempio s'affiggeva ogn' anno*, quum in Livii verbis nulla sit mentio muri, nulla *τῶν foris* vel *intus*; & clavus potuit figi in lignea aut lapidea pila, quæ frontem utriusque *σηκȣ̃* sustineret, ut videtur indicare nummus ab Nardinio positus pag. 303. quem ipse fatetur se mutuatum esse ex Alex. Donati libro II cap. x. Sed oportet scire, eum primo editum esse anno 1582 ab Julio Jacobonio in Appendice de Cæsia gente pag. 14. ita ut tota vox CAPITOLINUS esset obversa Jovis fronti. Tum Fulv. Ursinus inter incertos post Familias Romanas tabul. I. sequuto etiam Patino: tenuitque id exemplum anno 1617 noster Rycquius ita, ut literas LINUS haberet Jupiter sub pedibus. At vero Donatus imprudenter frontem Jovis vertit ad literas JOMAX, rejecta voce CAPITOLINUS post tergum; unde Nardinus retulit suam tabulam ad archetypum vetu-

tuſtius. Cæterum nefanda eſt inſcriptio, quam alteri illius lateri imponit Rycquius VEST. AUR. QUIRINA cum face, quum vera ſit VESTA P. R. QUIRITIUM, de qua dubitare nullus poteſt; & error fuit hauſtus ex Choulio.

Quin & paulatim recidit penitus ad Lipſianos & Donatianos muros: *Se pari ello furono nello ſpatio di 16. canne, toltene le groſſezze de quatro muri, ciaſchedune hebbe minor ampiezza di cinque canne.* Ubi enim vel reponit ipſe quatuor muros, vel ab alio repoſitos aut enarratos legit ac vidit? Certe nuſpiam illi tot fuerunt, nec alii hîc noti, quam qui utrumque latus magni Templi ab exteriore parte ac tergum terminarent. Et quam graviter labitur, quum ex Dionyſii libro III cap. 84 citat *Nunc altera eſt in veſtibulo Minervæ, altera in ipſo delubro prope marginem vel murum?* In quo tamen ſcio illum ire in ſententiam ſui Donati, qui cap. IV quum citaviſſet nugatorie τ̃ ἕλους, plane ſic Latina apponit, non alia addita cauſa, niſi *Sic enim placet interpretari.* Melius dixiſſet ineptire. Qua vi enim aut via potuit ἕλος vel ἕδος referri ad marginem aut murum? quum viri docti egregie in hac parte interpretati fuerint Dionyſium,

etiam ipſe Lipſius, *Itaque eorum aræ continentur templi* (ſequitur interpretem Latinum: ſed Græce melius Dionyſius ἱερῶν, trium ſcilicet) *ambitu atque una in veſtibulo cellæ Minervæ eſt, altera in ipſâ cellâ juxta pulvinar.*

Hoc igitur Dionyſius ſcribit primum, & cum Dionyſio nos ſtatuere debemus, omnino ita poſitas fuiſſe has imagines, ut latitudo univerſa perpateret, ac conſpectus exiſteret penetrans per tres illos σηκὸς, & ab Jovis oculis ſi cernerent, neutra eſſet ſecluſa aliquo interſepimento.

In qua fide quid dubitamus, quum & quatuor nummi ab Rycquio citati & gemma nunc addita id palam exclament, exhibentes duo communia inter tres latera, nullo repagulo diviſa; ut mirari profecto libeat, viris doctis tantopere placuiſſe fabricari in vacuum muros & parietes. Σηκὸς Iovis habebat duas πλευρὰς, perinde ut reliqui duo: hæ πλευραὶ fuiſſent ἰδίαι τῆ σηκῆ αὐτοῦ, ſi aliquid medium interponeretur ad finiendum ſingulos; & quidem eo uſque ἰδίαι, quoad porrigeretur φραγμὸς, per quem ab latere vicini σηκῆ ſecluderetur. Id quum non fit, jam commune eſt & coiens totum medium ſpatium; & quum ſic res ſita eſſet inter σηκὸς Capitolinos, optime ab Dionyſio de-

ſcripti

ſcripti fuerunt κοινὰς ἔχοντες πλευράς. Quas πλευρὰς propterea non alio modo diviſas fuiſſe patet, niſi quemadmodum orbis diviſus eſſe dicitur partibus apud Pomponium Melam in principio, imaginariis ſcilicet & mente concipiendis, non cancellis aut muris aut aliis repagulis intervenientibus: quibus tunc credemus hæc latera diviſa fuiſſe, ſi vel Iuvenalis, quum communi umbra & pecus & dominos claudi dicit *ſatira ſexta* initio, vel Iuriſconſulti quum memorant veſtibulum commune duarum ædium, vel ſaltum communem, etiam patientur de pariete neſcio quî diſtinguente cogitari. Etenim ſi paries fuit, potuit ille fuiſſe communis, non πλευρά. Emporiæ erant in Hiſpania duo oppida muro diviſa, ait Livius XXXIV, 9. & ideo non habuerunt κοινὰς πλευράς. Hinc igitur fieri potuit, ut Præneſtinum Iovis Imperatoris ſignum commode dedicari poſſet *inter cellam Jovis ac Minervæ*, ut habet Liviana citatio Rycquii noſtri pag. 242. neque enim quidquam vetabat, quo minus utramque ſimul intraret ac tangeret.

Pergit Dionyſius. Μέσος μὲν ὁ τοῦ Διός· παρ' ἑκάτερον δὲ τὸ μέρος, ὅ τε τῆς Ἥρας καὶ ὁ τῆς Ἀθηνᾶς. Id vero maceror ac doleo,

Ryc-

Rycqui, te non contigisse illi tempori, ut hæc ipsa posteritati traderes non tam confusa, ut quidem confusius hoc paulo existimas tradidisse Dionysium. Scilicet quum tot nummis, tot gemmis tabulisque series istorum numinum esset commissa, tot millia spectantium quotidie ex omnibus regionibus illuc adventarent, atque adeo ubique esset notissima, non licuit Dionysio hunc consessum proferre, prout illi maxime commodum videbatur; & quia non id fecit ad captum Rycquii, objurgari debuit. Quæso, an id aliud est, quam quod nonnullos multo opere indagare, imo indignari audimus, quia videre non possunt, uter ex latronibus Servatorem utrinque stipantibus ad sanam mentem fuerit reversus? Ita ab eo qui scribit, non se, sed lectores futuros consuli volunt.

Minerva igitur ad dextram Jovis, Iuno ad sinistram locata fuit, tot nummis & gemma hodieque testantibus, non aliter quam in præclaro nummo Severi apud Tristanum tom. II pag. 69 videmus patrem ita collocatum inter duos filios, ut quum Caracalla & ipsâ staturâ major perinde ut ætate, itemque coronatus ut pater, atque etiam orbem dextra tenens ut pater, tamen sedeat sinister, quum

Geta

Geta minor utraque, ſine laurea, manu vacua, adſideat dextro patris lateri. Non tamen ignoramus prolatum nuper ab viris doctis nummum Laodicenſium ſub Hadriano, ubi Juno ad dextram, Minerva ad ſiniſtram ſtat Jovis, ſed non fulmine terribilis, verum aquilam ſuam geſtantis.

Denique addit Dionyſius, ὑφ ἑνὸς ἀετοῦ καὶ μιᾶς στέγης καλυπτόμενοι. Quod participium non debebat ab Latino interprete velut fruſtra poſitum adſpici, ut adeo negligeret. Nam & omnia quæ erant in iſto grandi templo, fuerunt ſub uno tecto, quod res ſane ipſa docet. Nec fieri poteſt, quin Latina iſta legentibus videatur quodammodo abſurdus Dionyſius, qui deſcribens grande & patulum templum, poſt omnia apponat eſſe illa ſub uno tecto. Ita tamen & noſter Rycquius defungitur quoque. Recte igitur Donatus addit *opertæ*. Id enim vult Dionyſius, quum unum ingens tectum totam Capitolinam ædem ab ſuperna parte obtegat, tum intus in ædis hujus poſtico infra illud tectum commune eſſe aliud faſtigatum tectum factum, quod extendatur ſuper has tres ædiculas. Cujus certe magnificentia debuit fuiſſe eximia, & magis concipi valet animo, quam verbis declarari. Iſtam

aquilæ

aquilæ formam ſcilicet adſumpſerunt Græcorum fabri, & ab iis Romani, ut ego opinor, non aliunde, quam ut naupegi Græci ſecundum artis dictata, ſervituri ſimul commoditati, ſimul conſpectui & concinnitati, proræ altitudinem terminaverunt in ſuo χηνίσκῳ, ſequutis etiam Romanis, ut ſæpe videre licet in nummis utrorumque; notante etiam & exempla depingente Cl. Scheffero in Re Navali, ut & Triſtano in nummo Commodi, ut propterea tantos ubique commentarios de hac aquila exſtare nihil fuerit neceſſe.

Sic igitur ſtatuo ab poſtico pariete pro rata altitudine ad modum ſuggrundæ procucurriſſe inſtar tecti faſtigati, quod deſineret idcirco etiam in aquilam perinde ut tectum ſuperius maximo templo impoſitum, idque hos tres σηκὸς vel ædiculas, ut vocant Latini, obumbraret. Porro hos ipſos, quos vocat Dionyſius σηκὸς, conſiderari ex ipſius juſſu oportet ita, ut ſinguli majores & ampliores fuerint quam ipſum ἕδος; prout id nunc ſtrictiſſime accepit pro ipſa ſede, cui imago auguſta eſſet impoſita; (*ſolium* ait Tacitus in loco citato, c. 25. fin. Plinius in cap. 21.) ut ſic præter hanc locus eſſet non modo ad excipiendam, ſed & oſtentandam tantæ dona-

nariorum multitudinis abundantiæque duntaxat partem, utque eam digeste expositam contemplari spectator extra πρόναον consistens posset.

Nam præter σηκὸν & εἶδος etiam πρόναος ab Dionysio supponitur. Ex quibus omnibus id videmur conficere, ut tum σηκοὶ, tum illud solum, in quo erant εἴδη, exstiterit ultra superficiem pavimenti, & emunitus ac exstructus esset quidam velut suggestus per totam magni templi latitudinem pertinens, qui divina simulacra elevaret altius, ex solita veterum ratione majestatem quandam in isto etiam ponentium, deosque illos ut superos nonnisi in excelso spectari volentium. Sic quum substructio illa consecraret tria numina, simul illa quoque quum cava esset intus, subservire potuit ad quædam pretiosa donaria aut etiam rerum divinarum instrumenta solennia securius custodienda, ut & sub Jovis cella poni posset aurum sacrum ex Livio citatum Rycquio c. 21. Ante hanc substructionem quod planum cum reliquo magni templi pavimento penitus aut fere conveniebat, certe non multum altitudine excedebat, ad similem custodiam aut alia huc pertinentia receptaculum erat opportunum, idque notatione

ne πϱϱνάς designatum ab Dionysio videtur; quum Latini ferme & suggestum & antepositum humilius junctim indigetent una appellatione *cellæ*, quam toties in reponendis his donariis nominant. Quæ cella quum triplex fuerit, hoc unum in illis tribus annotandum video occurrere, quod cella Jovis obtinuerit fere ἡμιόλιον spatium latitudinis, ita ut non tantum æquaretur ejus σηκῷ vel ædiculæ, sed & procurreret utrinque ante ædiculas Dearum usque ad ipsa illarum ἕδη; unde fieri potuit, ut aliquid poneretur in Jovis cella, & tamen esset ante pedes Junonis, quod testatur Livius VI, 4 de tribus aureis pateris cum titulo nominis Camilli, quod citat Rycquius cap. 22. sed mire trajicit in cap. 23. quasi etiam Junonis simulacrum in cella Iovis fuerit.

In media ædicula fuit statua Iovis sedentis ac sinistra ad divinum morem hastam, dextra fulmen gerentis. Nec ullius ponderis est illud dubium, quod hac in re movet Donatus II, 7 ex loco Suetonii, ubi dicitur somniavisse Catulus, *Jovem Opt. Max. prætextatis compluribus circum aram ludentibus unum secrevisse, atque in ejus sinum signum reipublicæ, quod manu gestaret, reposuisse.* Quod signum, quum ipse meminisset se vidis-

diſſe in Domitiani nummis, iſte ſic conatur conciliare, quaſi modo ſceptrum, modo fulmen altera manu geſtandum Iovi præbuerint. Nec id diſplicet Nardinio, niſi quod male mentem Donati exprimit, qui non dicit ſe credere, *che tal'hora il fulmine, tal'hora quel ſegno gli ſi poneſſe nella deſtra.* Sed Donatus vult ſemper adfuiſſe ſignum Reipublicæ in una manu, in altera modo ſceptrum, modo fulmen. Sed mox ipſe Nardinius incipit cogitare, an non poſt Sullani belli incendium pro fulmine minaci conceſſerint Jovi ſignum hoc reipublicæ, quam protegeret. Quæ omnia ſatis ridicula. Nam Suetonius narrat modo ſomnium Catuli, & quomodo ſomnians Catulus viderit Jovem, non vero qualis quantuſque in ipſo Capitolino ſolio ſederet. Id ipſum manifeſte colligitur etiam ex narratione Dionis lib. XLV, dum dicit εἰκόνα ἵνα τῆς Ῥώμης ἐμβεβληκέναι, ut erant multa hujuſmodi Romæ ſigna, etiam in ipſo Capitolino templo; ex illis aliquod ſomniat injeciſſe, non quod teneret manu ipſe Capitolinus; quem in ſuo σηκῷ ſedentem, fulmineque & haſta ornatum oſtentat nummus notiſſimus, de quo loquebar modo pag. 12. ab plurimis allegato, cui ſimillimus eſt Chifletianus ſub Vi-

tellio

tellio & cum ejus imagine cuſus, itidem Jovem in ſuo σηκῷ, qui ab erudito Occonis editore non debebat conſiderari ut ara duarum columnarum, in cujus medio aliquis ſedeat, ita ſedentem referens: ut optime noſter Rycquius in cap. 19. nonniſi fulmen ſolum agnoverit. Tota enim narratio ſomnii eſt, unde & prætextatum vidit ſedentem in gremio ejus, ac ſi prætextati illuc adſcendere valerent, quum cellam Jovis bene clauſam fuiſſe diſcamus ex facto Scipionis.

Hæc igitur licuerit mihi auguſtiſſimo quondam templo conſecrare ad fabricæ memoriam, ut progrediar ad alia. Neque enim prætermitti ſine animadverſione poteſt miratio Rycquii in capite undecimo, quam concipit ex Polybio dedicationem Capitolini templi magis feſtinante, quam ſcriptores alii. Itaque eſt ille velut communis locus apud Grammaticaſtros faſtorum interpretes, in quo graviſſimus auctor, facile ut nunc, etiam in aliis, ubi vellicatur, defendendus, ignominiam ex illorum conſenſu nanciſcitur. Et tamen unus rem illam & melius, utpote ante incenſum Capitolium Sullano bello, & prius inſpexit. Tabulæ formam fæderis continentes neſciunt fallere. Has inſpexit

ſpexit Polybius. Quis reliquorum omnium ita potens aut beatus fuit? Veritas Polybii etiam plana eſt, qui non faſtos concinnat, & paria conſulum digerit; ſed quum æque ac illi, ſciret ſuffectiones nonnullas contigiſſe primo libertatis anno, memorat tantum, quid legerit in eis tabulis. Legerat autem anno iſto primo, quo L. Junius Brutus conſul fuit, cujus nomen, etiam quum jam eſſet mortuus, ut ἐπώνυμον totius anni videtur actis tunc omnibus præſcriptum fuiſſe, M. Horatium in eiſdem tabulis nominatum, quo forſan referente cum Pœnorum legatis fœdus factum fuit; immo & ipſe deſignatus fuiſſe videtur, qui cum Pœnis ageret, unde ejus mentio & quidem conſulis in ipſo fœdere contigit. Itaque pari modo mox etiam addit ὑπ' αὐτῶν συμβῆναι καθιερωθῆναι τὸ ἱερὸν τοῦ Διός, quod conſtantiſſima fama tulit ab uno illo ipſo Horatio dedicatum fuiſſe, ſed illo anno, quo utique iſti conſules fuerunt, etſi non per eoſdem menſes, utique menſes primi anni poſt reges ejectos. Equidem ſi Tacitus potuiſſet addere vel minimam rationem, cur tertio demum anno peragi potuerit dedicatio, potuiſſet quomodocunque audiri. Quum vero nec addiderit quidquam, nec addere
po-

potuerit, patet conjecturam esse ipsius, quam pro historia tradidit. Nam quod scribere sustinet Dionysius Ταρκύνιος τὰ μὲν πολλὰ ἐξειργάσατο τοῦ ναοῦ, τελειῶσαι δ᾽ οὐκ ἔφθασεν ἅπαν τὸ ἔργον, ἐκπεσὼν τάχιον ἐκ τῆς δυναστείας, ἀλλ᾽ ἐπὶ τῆς τρίτης ὑπατείας ἡ Ρωμαίων πόλις αὐτὸν εἰς συντέλειαν ἐξειργάσατο, sunt ipsius in dilatando & sermone & narrandi modo solita specimina. Nullam potuit ille cognovisse mensuram, quousque Tarquinius ædificationem profligaverit. Nullum ejus indicium vel ex scripto vel ex sculptura exstitit. Inquisita quoque ea habuisset Livius & cum hoc Augustus Cæsar. Sed nempe, ut Dionysius, sic quoque Plutarchus βασιλεύων γὰρ ἔτι καὶ τὸν νεὼν τοῦ Καπιτωλίου Διὸς ἔχων ὁ Ταρκύνιος ὅσον οὔπω συντετελεσμένον. Quum si quæras, quanta etiamnum structuræ residuæ esset opera, illic totum istud redigatur ad quadrigam fastigio imponendam, quæ coquebatur ab Veientanis figulis. Nec erant illi anni urbis Romæ, ut opes suas posset ad exstruendum conferre. Prorsus nihil in illis verisimile, ut ego mirer Onufrium & Pigium nonnisi tertio libertatis anno voluisse mentionem facere hujus dedicationis, quum Sigonius utrique auctorum sententiæ id tribuerit, ut & primo & tertio ejus meminerit. Apo-

Apollinem Monetalem in nummis Commodi olim ab Goltzio, nunc ab plurimis exhibitum, mirifice Rycquius in cap. 41 cognominatum ita putat, quia in templo forte aliquo Monetæ consecratus fuerit. Quod non meliore fortuna meditatus videtur, quam qua Herculem Materiarium quoque Romæ cultum eo nomine existimat, quia e materia sive ligno olim compositus cap. 18. Aliud sane & certius nos docent Apollo Sandaliarius ac Tortor Suetonio memoratus. Nam & hic ita sine dubio dictus, quod consecratus esset in vico, ubi materiarii plerumque consisterent & materiaria negotiatio exerceretur, ut sane etiam *Vicus Materiarius* cognominatus proditur in regione XIII; & ille non potest ambigi, quin quod patet unicuique, quum *Regio tertia* urbis inscribatur etiam *Isis & Serapis Moneta*, (& habet Rycquius in principio hujus capitis, immerito se in ea vexans) ut in multis, imo plurimis aliis urbis partibus accepit templa, sic quoque illic notabili honore templi adfectus fuerit. Hujus autem mentio jubet me hîc annotare, quemadmodum Rycquius nullam renovaverit memoriam rei solennissimæ in Capitolio confieri solitæ, scilicet probationis pon-

derum & mensurarum, quum & in Julio Capitolino habeamus *Capitolinam amphoram*, & Casaubonus non omiserit istic insigne illud Romanæ antiquitatis monumentum adducere, congium istum cum literis *Imp. Caesare. Vespas. VI. Cos. T. Caes. Aug. F. IIII. Mensurae. exactae. in. Capitolio*, quem velut ignotum nuper Parisienses ex cœnobio Genofevæ denuo venditare cœperunt tab. XIII. Id quod dubitari non potest contigisse in templo alterutrius Monetæ, quæ ideo fere semper cum libra ad exigenda pondera solet depingi. Sed compluria illa sunt, quæ ex scriptoribus docemur in Capitolio peragi ab Romanis per varias solennitates sueta, & non rite ab Rycquio nostro omissa, (etsi forsan ab sciente, qui ea alteri libro destinarat, prout patet ex præfatione) quippe continuam frequentationem ejus collis & pompam ac religionem manifestantia, de quibus alibi: ut certe non satis cautus fuit in negligendo quod promiserat cap. XV. *Templum cum hujusmodi ornatu e veteri gemma*, quæ nulla ab eo fuit prodita.


Præterea quum fine capitis 25 observet formas substructionum Capitolii, ne harum quidem specimen hinc abigere volui, quod constat bis jam alibi fuisse publicatum.

Sed



A
B
C
D
E
F
G
H

Sed & posticum ejus conspectum versus forum, prout hodie est, sic extulerunt.

A. Quin etiam nummum pag. 196 nescio ex quo exemplari deprompserit noster, quum toties & in tot chartis ille exstet aliter omnino lineis deductis, certe abacto inde conspectu nescio cujus globulatim in pectore connexi, quod plane nullum fuit in vestitu Romano. Certe & in Tabula LI ad dialogos Italicos Antonii Augustini non minus vitiose is ipse expressus est, dubium an inde noster sit imitatus. Nunc quia tempus monet hæc desere-re, quoniam Rycquius in fine capitis 45 facit mentionem hodiernarum in Capitolina veteri area exstructionum, judicans eas quoque hîc spectari debere, ideo quum oculis subjecerim conceptas ab plurimis earum descriptiones, quas fidelissimas longa indagatione intellexeram, eas elegi & hîc apposui, B. quod omne gratum habe & vale.


B.





Conspectus hodiernus Capitolini montis versus forum Romanum, ubi A creduntur esse reliquiae capitulorum [illegible] B tres columnae ex aliqua templi porticu quae C restant ex templo Concordiae.

CATALOGUS LIBRORUM

QUOS

JOANNES DU VIVIE,

Vel ipse excudit, vel majore numero sibi comparavit.

A.

Auli Gellii Noctes Atticæ, cum not. & Emendationibus, Joa. Fr. Gronovii. 8.
Abarbanel (Rabbi Isaaci) Commentar. in Hoseam, cum not. Fr. ab Huzen. 4.
Akersloot (Theod.) Uitlegging over den Sendbrief Pauli aan den Galaten door Joodse oudheden doorgaans opgehelderdt. 4.
Altingii (Jac.) Grammatica Hebræa, Chaldæo, Syro & Chaldaica. ed. postrema. 8.
l'Anatomie & l'Ame des Plantes, par Monsr. Grew. Boyle, Dedu. &c. 12. cum fig.
Amerpoel Cartesius Mozaisans. 12.
Augustini (Leon) Gemmæ antiquæ curiosissime depictæ cum earum explicatione & enarratione J. Gronovii. in 4. ed. secunda.
Arabie, Mesopotamie, Babylonie, Assyrie, Anatolie, beschreeven door Dapper. fol. met fig.
Antwoord op het nader berigt raakende eenige Theologise Nieuwigheeden. 8

Z Bo-

B.

Borellus (Joan. Alph.) de motu animalium. cum fig. in 4.
- - - De vi Percussionis, de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus. cum fig. &c. in 4.
Bontekoe (Corn.) Metaphysica, de motu; Æconomia animalis; & Geulinx physica vera. 8.
Bibliotheca Heinsiana. 8.
Barhtolini (Th.) Anatomia reformata. cum fig. 8.
Blasii Observata Anatomica Practica cum fig. 8.
Boile (Rob.) Tentamina quædam Physiologica. 12.

C.

Cuperi (Gisb.) Observationes, quibus varii Autorum Loci emendantur & explicantur. 8.
- - - Harpocrates. cum fig. 8.
Catechesis belg. & Lat. 8.
Coetsii (H.) horologiographia plana, seu nova & accurata omnia horologiorum genera describendi Methodus. 4.
Catullus ex accuratissima recensione & cum novis observationibus J. Vossii in 4.
Catonis Disticha 8.
Cranen (Th.) de homine cum fig. in 4.
- - - Praxis Medica. editio postrema aucta & plane renovata studio J. Broen. Med. Lect. 4.
Compendium Geographiæ universalis; item. Hispaniæ, Galliæ, Italiæ brevis & curiosissima descriptio. 2. vol. cum fig. 12.
Charleton (Gualt.) Catamenia, uterique Rheumatismus. 12.
Comedies diverses. 12.
Corradi questura, in qua vita Ciceronis eleganitsſime

fime defcribitur. 12.

Cave (Guill:) Befchryving van het eerfte Christendom met plaaten. in 8.

Catechifmus der Jefuiten. in 8.

D.

Dictionarium Belgico-Latinum. 8.

Drelincurtii opufcula varia. 12.

E.

Erafmus de civilitate morum. 8.

l'Emeri cours de Chimie. 8.

Æliani variæ hiftoriæ cum notis & ex recenfione nova Jac. Perizonii. Gr. & Lat. 8. *fup. prælo.*

Effais d'Anatomie, 12.

F.

Feithii antiquitatum homericarum libri. 12.

Foquelini , Prælectiones Aurelianæ , varias illuftres Juris Materias Illuftrantes. 12.

G.

Geulinx (Arn.) Phyfica vera cum notis Cafp. Langenhert. 8.

Grand (Ant: le) inftitutio Philofophiæ Cartefianæ. 4.

Gronovius (Joa Frid.) de lege Regia. 8.

--- - Pecunia vetus, five de feftertiis; feu fubfecivorum pecuniæ veteris Grecæ & Romanæ libri quatuor., acceflerunt L. Volufius Mæcianus, Balb. Menfor de affe, Pafcafii Gro-

ſippi tabulæ nummariæ; αντηξηγήσεις; Λεγαειακὴ παλαιὰ καὶ νέα. &c. Gr. & Lat. 4.
- - - Obſervationes in ſcriptoribus Eccleſiaſticis. 12.
- - - Obſervatorum liber novus. 12.
- - - Icuncula Smetiana; ſive explicatio imagunculæ argenteæ, quam falſo Harpocratem indigetarunt. 4. cum fig.
Gyraldi (Lili Gregor.) opera omnia duobus Tomis diſtincta: complectentia hiſtoriam de Diis gentium; Muſis & Hercule; rem nauticam; ſepulcralia & varios ſepeliendi ritus; hiſtoriam Poëtarum Græcorum & Latinorum; Kalendarium Romanum & Græcum cum libello de annis & Menſibus: ac inſuper alia, omnia partim tabulis Æneis, & nummis, partim commentariis Faas, Colomeſii & aliorum ineditis illuſtrata. in fol. 2. vol. cum fig. nutid.
Groeneveld (Joa.) diſſertatio Lithologica variis figuris & obſervationibus illuſtrata. 8. c. fig.
Grotius (Guilh.) de vitis Iuriſconſultorum in 4.
Goeſii (Wilh.) Pilatus Judex, cum animadverſionibus Theologicis &c. 4.
Grammatica Gallica & Lat. 8.

H.

Hamerſtede (Petr.) triumphus Eccleſiæ de Babylone. 4.
Heidani Corpus ſive Theologiæ Chriſtianæ ſyſtema. 2. vol. 4.
Henrici Navarrorum Regis Epiſtolæ. 12.
Hoſeas Propheta cum commentariis Philologico Theologicis Rabbi Iſaci Abrabanelis. in 4.
Hoeke (Petr.) commentarius analyticus in Epiſtolam ad Hebræos. 4.

- - - Eer-

- - - *Eerste beginsel der leere Christi, om tot de volmaaktheid voort te varen.* 8.
- - - *Schets of ontwerp van kennis en waarheid in de Wet en 't Euangelium, met een bijvoegsel van 't verschil en overeenkomst van de geloovige onder alle tijden.* 8.
- - - *Uitlegging over het Boek Jobs.* 4. *onder de Pers.*

Het Hooglied Salomons Rijmswijse verklaard en uitgebreid door R. Rombouds. fol.

Hugenii Astroscopia Compendiaria cum fig. 4.

- - De Circuli Magnitudine nventa. 4.

Hulsii Rhematologia major. 8.

I.

Jones de Febribus. 8.

De Iliaden van Homerus. 12.

K.

Klenkii (Jani) Institutiones Juris naturalis & gentium & publici. 12.

Ketelaar (Vinc.) de Aphtis. 12.

Knibbe (Dav.) over den Sendbrief Pauli aan den Colossensen. 4. 2. *deelen. laatste druk.*

L.

Logica sive ars cogitandi, in qua præter vulgares regulas plura nova habentur ad rationem dirigendam utilia. editio postrema cæteris emendatior. 8.

Larroquani adversaria sacra; accessit diatriba de legione fulminatricum, in qua expenduntur veterum testimonia. in 8.

M.

Mattheus (Ant.) de auctionibus. 4.
Munkerus (Th.) de Intercalatione variarum Gentium & præsertim Romanorum. 8.
Munniks (Joa.) de urinis. 12.
Merulæ (Pauli) opera posthuma de legibus, sacrificiis, sacerdotibus comitiis, Præmiis Romanorum 4.
Meursii (Joa.) Themis Attica sive de legibus Atheniensium. 4.
- - - Theseus, sive ejus vita & res gestæ. 4.
Mobachius de triumphis Romanorum. 8.
Monzambanus (Sev. de) de statu Imperii Romano Germanici. 8.
Matthæi (Ant.) Exercitationes Miscellaneæ adversus Abr. a Wesel. 8.
Meulen (G. vander) statuta Vianensis & Ameidensis. 4.

N.

Nuck. (Ant.) de Ductu Salivali. 12.

P.

Pacii (Julii) Analysis. 8.
- - - Isagogica.
Pars (Adr.) over Psalm 110. 8.
- - - *Messias vaticinans, of de Propheteerende Heiland in sijn vreeslijke Godspraaken ontrend Jerusalems en 's Werelds ondergang. Matth.* 24. 8.
- - - *Van de oudheid der Catten, eerste Batavieren, in Holland met curieuse koopere platen.* 8. onder de Pers.

Poene (Marc. van) over den Sendbrief Pauli aan den Romeinen 2. deelen in 4.
Polyeni Stratagemata cum notis Casauboni & variorum, Justo Vulteio interprete, ex recensione Maasviciana. 8.
Passie-texten soo als de selve Jaarlijks alhier Gepreedikt werden. 12.
Prima Scaligerana cum Præfatione Fabri. 8.
Priolus de rebus Gallicis. 12.
Picqueti experimenta anatomica. 12.
Pignorius de Servis cum fig. 12.
Petavii Rationarium temporum.

R.

Rombouts Werken compleet 3. *vol. in* 4.
- - - *Over de Parabolen van Math.* 12: 13.4.
- - - *Hooglied in Rijm uitgebreid. fol.*
Rudimenta Latina. 8.
- - - Græca. 8.
Rycquius (Just.) de Capitolio Romano: in quo illustria ejus olim ædificia, sacra, profana, Deorum Dearumque nomina: arcus item triumphales, columnæ, statuæ, tropea, colossi, cæteraque ornamenta adducuntur & describuntur, & plura alia antiquitatis monumenta explicantur. 12. cum fig. editio postrema a capite ad calcem emendata & plurimis Viri Celeberr. annotationibus aucta.
Respublica Achæorum & Veientium. 12.
- - - Hebreorum ab H. Houttuin. 12.
Ruisch de Valvulis. 12.

S.

Schmitzii (Seb.) compendium medicinæ practicæ. 12.
Stenon (Nic.) de solido intra solidum. 12.

Si-

Sigonius de republica Hebræorum cum notis & variis annotationibus & antiquitatibus Veteris ac Novi Teſtamenti illuſtratus & ab erroribus purgatus ab J. Nicolao. 4.

Sancti Minerva ſive de cauſis linguæ Latinæ commentarius, cui accedunt notæ & animadverſiones ſcioppii & uberiores J. Perizonii. 8.

Spinæus (Goth.) in Grotium de Jure belli ac Pacis cum annotationibus & notis variorum editio plane nova. 4.

T.

Tacitus ex Recenſione nova & accuratiſſima & cum notis Th. Rykii. 12. 2. vol.

Tachenii Clavis Medicinæ. 12.

Turſellini (Horatii) epitome Hiſtoriarum a mundi origine ad noſtra hucuſque tempora. 12.

Theognidis ſententiæ. 12.

Trigland de Principiis humanæ cognitionis. 8.

Thomſon Epilogiſmi Chymici. 12.

V.

Voſſii (Iſac.) notæ & obſervationes in C. V. Catulli opera. 4.

- - - Grammatica contracta in uſum ſcholarum. 8.

- - - Elementa Rhetorica. 8.

- - - Vocabularia. 8.

Voyages de Mr. de Monconiis in 12. 5. *vol.* avec fig.

La de Guil. de Bedel par Burnet. 12.

Vitriarii (Reinh.) inſtitutiones Juris Publici. 12.

Voetius ad Pandectas. 8.

FINIS.

6 cc nn (compreso il
frontesp.) 454 pp.,
12 cc nn., 25 pp.,
4 cc nn., 3 tavole
ripiegate f.t. e
illustr. nel testo